

IHS






Ex Libris
F. Romualdi Pietrzykowski
M.
1823

Modo
post fata ejus
cessit
P. Nepomuceno Daczyński
1830. a.

z Biblioteki
Jasnej-Gory
Częstochowskiej


Hæreditas Dñi
VITA et ACTA
SS:mi Patris et Patriarchæ
ROMUALDI Fund: Camald: lati
no Idiomate â B: Petr: Damiani
ejusdem discipulo composita:
nunc verò in Germanicâ linguâ
versa, mysteriosæ per visionẽ Sca
læ = ejus miræ translationis = ac qua
rundã devotionis Scintillarũ addi
tione aucta, nec non Germanicis ac
latinis versibꝰ exornata.
â quodam in Eremitorio S. Josephi propè
Viennã professo Eremita et Sacerdote.
Año Salutis reparatæ MDCCXXIII
Gloria Patris
Montis Coronæ
Camaldoli

VITA ET ACTA
SANCTISSIMI PATRIS
ET
PATRIARCHÆ
ROMUALDI,
FUNDATORIS
Camaldulenſium,

Latino Idiomate

A B. PETRO DAMIANI

ejuſdem Diſcipulo compoſita,

Nunc denuò in lucem data, myſterioſæ per viſionem Scalæ - ejus miræ translationis - ac quarumdam devotionis ſcintillarum additione - nec non latinis verſibus exornata.

A quodam in Eremitorio S. Joſephi propè Viennam Profeſſo Eremita ac Sacerdote,

Anno Salutis reparatæ

M. DCC. XXIII.



VIENNÆ AUSTRIÆ,
Typis Mariæ Thereſiæ Voigtin, Viduæ, 1726.



QUis Romualdus erat, vis noſcere
Lector amice?
Caſuros tumulis, dans Romualdus
erat.
In vitia, & barathrum Caſuros ille
mori quot
Fecerit, & Clauſtris ceû tumulis
dederit,
Præſens (qVaM CernIs) pIa VIta Le-
genDa, reVoLVe,
VerIVs atqVe pVtas nosCere,
aMICe! DabIt.



Programma:
Sanctissimus ROMVALDVS
Anagramma:
Sim Casuros dans tumulis.

F. A. Dietell Sc. Viẽ:

SANCTISSIMO PARENTI
ROMUALDO.

MUnus Te dignum exhibere Tibi audet quidam, Magne Parens Romualde! filiorum tuorum undequáque indignus: quid enim Te digniùs esse potest, quàm pii mores Tui, heroicæ virtutes Tuæ, sancta vita Tua, Tu ipse? Dignum nobis filiis, quorum gloria præcipua Tu es; ideóquè tantum Patrem jure tenemur amare, colere, ac venerari, in ejus virtutes inspicere, admirari, commendare, & pro viribus imitari: Dignum Scriptore filio, Parenti non absimili, nimirum Petro Damiani Sanctimoniâ, ac Doctrinâ apprimè nobili, qui, an majorem acceperit à Romana Purpura splendorem, an dederit? anceps est. Siquidem ille, postquam mores Tuos cum vestibus Tui ordinis induit, in sancti Vincentii Monasterio degens, ubi Tu anteà sanctissimè vixeras, aliíque ex Tua disciplina viri Sanctimoniâ vitæ percelebres diem extremam clauserant: cùm inibi animadverteret eximiarum virtutum vestigia non levitèr impressa, ipsíque parietes vitæ Tuæ beatæ suavissimos spiritus illi afflarent: adjecit animum, ut facta Tua heroica publicis monumentis consignaret: non modò, ut officium, cultúmque suum erga

Parentem ostenderet : verùm etiam ut in se ipso, aliisque religiosissimis fratribus amorem in te maximum excitares. Quæ causæ impulêre me paritèr, ut in præsentia hanc eandem vitam Tuam nonnullis efficacitèr cooperantibus ex tibi piè addictis novitèr prælo subjicerem ; utpote quod sinceri erga Te amoris argumentum, nec non & mihi, cæterísque fratribus ad Tua non lento gradu sectanda vestigia sit incitamentum. Exempla enim optimorum Parentum filiis quid aliud sunt, quàm speculum lucidissimum ? quod dum inspiciunt, primùm mores suos, si quos habent degeneres, intuentur, eósque totis viribus emendare contendunt ; deinde se ipsos paulatim fingunt, & componunt, ut in actibus suis similitudinem, quàm possunt, exprimant, tam excelsæ virtutis.

Igitur, Pater optime ! intuere bonam intentionem filii tui indignissimi, secunda votum ejusdem, accipe libentèr, quod tibi offert : quia Tuum est ; fac nos assequi, quod exoptamus, discamus à Te veram amandi artem amantem nos Deum. Ardeat in nobis fervor virtutes æmulandi tuas : nec unquam cessemus per tritas à Te semitas ad Tuos in æterna felicitate amplexus properare,

A M E N.



SAN-



S. ROMVALDVS (Camaldulensium Fund: et Patriarcha:) visu Scalæ, ex ima terra in Cœlum vertice pertingentis, per quam ascendẽ-tes intuebat, descendentesq; monachos albenti veste, Religionis perfectionem, eiusq; habitum designari mirabiliter agnovit.
Cornel: à Lapide in Pentateuch. Mosis fal: 229. 1. d.



D

Hâc

Fortu

Consc



SANCTI ROMUALDI SCALA.

DE terra hærentem Scalam miratur Olympo,
Prole Camaldulea clarus in orbe Parens.
Hâc aliqui ſcandunt reſerati ad limina cœli;
Hâc reliqui in niveis veſtibus ima petunt.
Fortunate Senex! Superum cui templa pateſcunt,
Cui Deus his gradibus mollit in aſtra viam.
Conſcendant alii flammanti ſydera curru,
Scala tibi currus, nec minor ignis amor.





DE BEATO PETRO DAMIANI
Scribente vitam Sancti ROMUALDI.

Gloria purpurei Petrus veneranda Senatûs,
Quem Sacra Templa colunt, quem Sophus omnis amat.
Dum Romualdi almi memorat pia gesta Parentis,
Fit genitus, magno non genitore minor.
Nam quod charta refert calamo signata fideli,
Imprimit in docili corde Magister amor.
Ergo quis à nato valeat dignoscere Patrem;
Inclyta si virtus par utriusquè fuit?



PRO-

PROLOGUS
S. PETRI DAMIANI, conquerentis adversùs mundum ingratum.

ADversùm te prorsùs, im̃unde munde, conquerimur: quia habes intolerabilem ſtultorum ſapientium turbam tibi facundam, Deo mutam. Habes, qui per vanam eloquentiam, & inanem Philoſophiam ſe ſciunt in ſuperbiæ cornibus arrogantèr extollere: non habes, qui profuturum aliquid ædificationi proximorum, ad poſterorum velit memoriam ſchedulis annotare. Habes, inquam, qui in prætoriis Judicum negotiorum ſæcularium lites, & cauſarum jurgia continuis valeant declamationibus perorare: non autem habes, qui poſſit in ſancta Eccleſia, vel unius Sanctorum virtutes & clara geſta deſcribere. Sapientes ſiquidem ſunt, ut faciant mala, bona autem facere neſciunt.* *Eccè enim tria jam ferè luſtra tranſacta ſunt, ex quo Beatus Romualdus depoſito carnis onere ad ætherea Regna migra-*

* Jerem, 4. 22.

migravit, & nemo adhuc ex hujusmodi Sapientibus extitit, qui de tot mirabilis vitæ ejus præconiis pauca saltem historico stylo digereret, & avidissimæ devotioni fidelium satisfaciens, ad communem utilitatem recitanda, Legivo S. Ecclesiæ tradidisset. Nobis autem in angusto cellulæ angulo residentibus, utiliùs erat, sicut proposuimus, propria peccata ad mentis oculos assiduè revocare, quàm alienæ virtutis historiam texere; magis expedire commissi reatûs tenebras plangere, quàm splendidæ sanctitatis insignia imperitis sermonibus offuscare. Verumtamen cùm ad sepulchrum ejus ex longinquis terrarum partibus toto anno, maximéque in ejus festivitate fidelium multitudo conveniat, miracula per eum divinitùs facta conspiciat; audire vitæ ejus historiam desiderabilitèr quærat, sed utpote, quæ non sit, audire non valeat; non irrationabilitèr pertimescimus, nè celeberrima ejus fama, quæ adhuc populi totius ore depromitur, labente curriculo temporum, de memoria hominum penitùs deleatur. Quapropter hoc timore compulsus, multorúmque fratrum precibus,


bus. & germana charitate devinctus, quod de prædicto mirabili Viro ab egregiis ejus Discipulis didici, aggrediar, Deo auctore, describere: vitæque ejus initium, cursum, & finem, nimirùm imperitus homo, non historiam texens, sed quoddam quasi breve comonitorium faciens, quibuscúnque tentabo literarum apicibus exarare.

Hoc autem unum in primis Lectorem meum nôsse desidero: quia non multa per eum facta miracula in hac ego descriptiuncula colligam, sed potiùs quod ad ædificationem omnimodis attinet, conversationis ejus ordinem referre contendam. Beatus siquidem Vir in tantum se humilitatis tegmine à vento vanæ gloriæ custodivit, quod undecúnque humanis oculis videri mirabilis potuit, studiosissima occultatione suppressit. Quæ tamen miracula etiamsi minimè fecisset, mirabilem vitam ducens, minori veneratione dignus non esset; néque enim Præcursor Domini fecisse miracula legitur, Quo majorem nullum inter natos mulierũ surrexisse, *Veritas ipsa testatur.* * *Nõnulli enim Deo se deferre existimant, si in extollendis San-*

* Matth. 11. 11.

ctorum virtutibus mendacium fingant. Hi nimirum ignorantes Deum nostro non egere mendacio, relicta veritate, quæ ipse est, falsitatis ei putant se placere posse comento. Quos benè Hieremias redarguit, dicens: Docuerunt linguas suas loqui mendacium, ut iniquè agerent, laboraverunt.* *Qui enim ultrò oblatam simplicem veritatem referre facilè poterant, in componendis, quæ nesciunt, casso labore desudant: & quo se pro Deo stare quasi adjutores autumant, eo ut re vera falsi testes contra Deum pertinacitèr pugnant; Apostolo Corinthiis attestante, qui ait:* Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides vestra:* *deinde subjungit:* Invenimur falsi testes Dei, quoniam diximus testimonium adversus Deum, qui suscitavit Christum, quem non suscitaverit.* *Sed quia necessitate ad scribendum coacti, velut commoti ista præmisimus, jam precibus ejus, de quo loquimur, Deo opitulante ad narrationis ordinem veniamus.*

*Jerem. 9. 5. *1. Cor. 15. 14. *1. Cor. 15. 15.


SS. Romualdus Nat. 907. ✝ 1027
Sergius Dux Raven: Pat. Romu
Enderadus Com. Hetruriæ.
Arechitus magnus.
Martinus
Ioannes
Luitprandus.
Romualdus veniens Ravennam.
Gisulphus fugiens Ravennam
Gisulphus.
Grasulphus
Taso
Romualdus
Rodialdus.
Ariditus.
Grimualdus Dux Beneventi
Gisulphus Dux Beneventi
Romualdus Dux Beneventi
Grasulphus Dux fori Julij
Cato Dux fori Julij
Taso Dux fori Julij
Grimualdus Dux beneventi et Rex longobardorum
Rodoldus Dux Beneventi
Gisulphus I. familiæ de Saxis.
Suscitabo mihi exhinc Sacerdotem fidelem, qui iuxta Cor meum et animam meam faciet. 1 Reg. 2 v. 35.

1. Cap. 1. memb.



CLarâ CoeLo beneDICta stIrpe RaVennæ
nobilis exortus flos Romualdus erat.
hunc (: ubi bis denos vanis in amoribus annos
egit :) solicitæ tædia mentis agunt.
unde puer venans per sylvas sæpe gemebat
O loca pro obsequijs Numinis apta mei!



Incipit Vita SANCTISSIMI PATRIS ET PATRIARCHÆ ROMUALDI.

PARS PRIMA,

Primi Capitis membrum primum.

Causa Conversionis Sancti ROMUALDI.

E CLara CœLo beneDICta stIrpe RaVennæ
Nobilis exortus flos Romualdus erat.
Hunc (ubi bis denos vanis in amoribus annos
Egit) solicitæ tædia mentis agunt.
Uude puer venans per sylvas sæpè gemebat;
O loca pro obsequiis Numinis apta mei!

ROmualdus igitur Ravennæ Civitatis oriundus, ex Illustrissima Ducum fuit stirpe progenitus. Qui cùm jam in adolescentiam provenisset, cœpit in peccato carnis proclivis existere, quo vide-

videlicèt vitio illa ætas impugnare homines præsertim divites, vehementiùs solet. Mente tamen Deo devotus, frequenter se tentabat erigere, facturúmque se magnum aliquid proponebat. Nam & si quando se ad studium venationis accingeret, ubicúnque per sylvas amœnum locum reperire, poterat, mox se ad eremi desiderium ejus animus accendebat, dicens intra se : O! *quàm benè poterant Eremitæ in his nemorum recessibus habitare, quàm congruè possent hìc ab omni sæcularis strepitûs perturbatione quiescere !* & ità mens ejus cœlitus inspirata, jam divinabatur in amore, quod impleturus erat postmodùm opere.



PRI-

1. Cap. 2. memb.



Sergius ecce Parens malè fortè cupidine raptus
auri, Cognatum provocat ense suum.
filius invitè vocitatur adeſse duello
quo Spectante miſer Patruus ense cadit.
Juſsa Patris feciſse dolet, sibi consulit ergo
Claſsensis timidus tecta subire domûs

PRIMI CAPITIS
Membrum Secundum.

SErgius eccè Parens malè fortè cupidine raptus
Auri cognatum provocat enſe ſuum.
Filius invitè vocitatur adeſſe duello,
Quo ſpectante miſer Patruus enſe cadit.
Juſſa Patris feciſſe dolet, ſibi conſulit ergò
Claſſenſis timidus tecta ſubire domûs.

HUic erat Pater, nomine Sergius, mundo vehementèr intentus, & omninò ſæcularibus negotiis implicatus. Qui dum adversùs quemdam propinquum ſuum exortis ſimultatibus pro poſſeſſione prati inimicitias exerceret, videns filium ſuum Romualdum in contentione molleſcere, criménque fratricidii medullitùs formidare, minari cœpit exhæredem facere, ſi in eadem diutiùs ſententia permaneret. Quid plura? tandem utræque inimicantium partes ex urbe ad litis materiam proruunt, arma corripiunt, bellum ſociale committunt: & dum cominùs hinc inde pugnatur, repentè manu Sergii inimicus, & affinis occiditur. Romualdus autem licèt nullum perempto vulnus inflixerit, quia tamen interfuit, pœnitentiam tanti reatûs accepit, móxque ad Claſſenſe Monaſterium Beati Apollinaris, more homicidarum diebus quadraginta permanſurus in luctibus properavit.

CA-



Frater in obsequium datus illi multa perorat
linquere cum mundo tecta paterna monet.
fraude piâ hinc juveni: mihi tu quid muneris offers?
Sanctus Apollinaris, si tibi visus erit!
ille. relinquam Orbem, sibi nocte apparuit almo.
eX hoC|: en frVCtVs:| braChIa VICta Dabat.

CAPUT II.

Ipſa converſio, & quia corpus B. Apollinaris ſine dubio in Claſſenſi Monaſterio jaceat.

FRater in obſequium datus illi multa perorat,
Linguere cum mundo tecta paterna monet.
Fraude piâ hinc juveni: mihi tu quid muneris offers,
Sanctus Apollinaris, ſi tibi viſus erit?
Ille: relinquam orbem; ſibi nocte apparuit Almus:
EX hoC (en frVCtVs) braChIa VICta Dabat.

ILlic autem diſtricta ſe pœnitentiâ jugiter macerans, cœpit cum quodam converſo quotidianum habere colloquium, à quo etiam juxta mediocritatem ſenſus, bonæ exhortationis audiebat ſæpè conſilium. Quem cum converſus frequentèr admoneret, ſæcularem vitam omninò poſtponere, & ad ſanctæ converſationis ordinem feſtinare, ſed ad hoc mentem ejus humiliare nullatenùs poſſet, aliquando inter cætera velut gratulabundus intulit, dicens: *Si tibi*, inquit, *ego B. Apollinarem corporali ſpecie, ita ut eum manifeſtè videre poſſis, oſtendero, quid à te præmii reportabo?* ad hæc Romualdus, *firma*, inquit, *& inviolabili me obligatione conſtringo, quia mox, ùt Beatum Martyrem videro, apud ſæculum ulteriùs non manebo.* Hortatur ergò, Converſus, ut ipſa nocte Romualdus dormire poſtponeret, & unà ſecum intra Eccleſiam in orationibus vigilaret.

Cúmque nocturno ſilentio longanimitèr ambo in oratione perſiſterent, eccè circà gallicinium noctisBeatusApollinaris,his duobus manifeſtè videntibus, exiit de ſubaltari, quod in medio Eccleſiæ ad honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ cernitur eſſe conſtructum. Viſus eſt autem exire ab orientali parte, illinc videlicèt, ubi marmor porphyreticum jacet. Confeſtim verò tantus ſplendor totam replevit Eccleſiam, ac ſi ſol fulgoris ſui radios intra ipſos parietes cohiberet. Tunc Beatiſſimus Martyr Sacerdotalibus infulis mirabilitèr exornatus,aureum in manu portans thuribulum, cuncta Eccleſiæ incenſavit altaria, & hôc factô, ſtatim unde exiêrat, rediit, & mox omnis ille ſplendor eum proſequens, apparere ceſſavit.

Cœpit itáque Converſus Romualdo durus nimirùm exactor vehementèr inſiſtere, & ut impleret, quod ultrò promiſerat, anxiè poſtulare. Cúmque Romualdus adhuc reſiſteret, & eandem viſionem cernere denuò flagitaret, alia nocte ſimilitèr in oratione perſiſtunt, & Beatum Martyrem per omnia,ſicut priùs aſpiciunt. Unde etiam poſtmodùm ſi de corpore prædicti Martyris aliquando quæſtio oriretur, Romualdus penitùs affirmabat in ipſa Eccleſia eſſe reconditum: & quamdiù Vir ſanctus

vixit,

vixit, hoc proferre teſtimonium non ceſſavit. Habebat quóque Romualdus conſuetudinem ante præcipuum altare Eccleſiæ orationi frequenter incumbere, ibíq; poſtquam fratres abſcederent, multis Deum ſatagebat gemitibus exorare. Dúmque hoc quodam die poſt viſionem attentiùs facecet, tantô mox Divini amoris igne mentem illius Spiritus Sanctus accendit, ut in fletum repentè prorumperet, uberes achrymarum rivos reſtringere non valeret, Monachorum ſe pedibus proſtratus advolveret, tradi ſibi monaſticum habitum inenarrabili deſiderio flagitaret. Monachi verò dum Patris ejus duritiem metuunt, converſioni illius aditum pandere non præſumunt. Honeſtus autem, qui tunc Ravennæ Archiepiſcopalem Cathedram obtinebat, olim Claſſenſis Cœnobii Abbas extiterat. Hunc ergo Romualdus impiger adiit, eíque omne ſui cordis deſiderium pate fecit. Qui alacer factus caſtæ concupiſcentiæ exhortationis ſtimulos addidit, fratribúsque ut eum ſuoCollegio incunctantèr aſciſcerent, imperavit. Hujus itáque patrociniô Cœnobitæ ſuffulti, Romualdum intrepida ſecuritate ſuſcipiunt, eíque ſanctæ converſationis habitum tradunt. In eo igitur Monaſterio triennium ferè tranſegit.

3.



jam novus hic Monachus, quô non ferventior ullus,
reddita vota Deo temnere quæq; notat.
increpat intrepidus, laxosq; redarguit omnes,
in Christo fratres, dum cupit esse pios.
ægrius hocce ferunt, tractant de morte Novelli,
vertit at Omnipotens impia vota Deus.

CAPUT III.

Quomodò Monachi correpti, Sanctum Romualdum de solario præcipitare voluerunt.

JAm novus hic Monachus, quô non ferventior ullus,
Reddita vota Deo temnere quémque notat.
Increpat intrepidus, laxósque redarguit omnes,
In Christo fratres, dum cupit esse pios.
Ægriùs hoccè ferunt, tractant de morte Novelli,
Vertit at Omnipotens impia vota Deus.

SEd cùm ibi cerneret nonnullos per lata gradientes remissiùs vivere, sibi autem arduam perfectionis semitam, quam mens dictabat, arripere non licere; quid sibi agendum esset, solicitè in semetipso cœpit inquirere, multísque cogebatur cogitationum fluctibus æstuare. Præsumebat autem levitèr conversantium vitam durè corripere, & sæpè ad eorum confusionem præcepta Regulæ in testimonium convocare. Cúmque in redarguendis eorum vitiis vehementèr insisteret: illi autem junioris, & Novitii verba pro nihilo deputarent, tandem hoc opprobrium non ferentes, dum propriam emendare vitam despiciunt, de corripientis morte tractare cœperunt. Solebat denique Romualdus per noctem cæ-

teris fratribus maturiùs ſurgere, & ſi oratorii adhuc janua clauſa eſſet intra ipſum dormitorium in orationibus excubare. Erat autem prædictum ædificium more Solarii altè ædificatum. Hoc itáque invenerunt filii Cain diabolo dictante, ut dum Romualdus antè alios ſolito more conſurgeret, ipſi eum per Solarii ſpeculum, verſo deorſum capite, in terram præcipitarent. Quæ res, poſtquam Romualdo per conſcium conſpirationis innotuit, ille jam de cæterò intrà cordis cubiculum clauſo oris oſtio, orans Patrem ſuum, imminens periculum devitavit. Hoc itáque modo dum ſibi cavit præcipitum corporis, fratribus, nè in animarum mortem corruerent, barathrum clauſit iniquitatis.



4.



trans mare ùt audivit quod eremo Vita Marino
Sancta sit; ùt valeat liber abire petit,
quem veniã Abbatis sic ad se pervenientem
ILLICò CongaVDens eXCIpIt Iste seneX.
sic flamma erupit, latuit quæ corde per annos
multos; en nemorum jam pia lustra colit!

CAPUT IV.

Quomodò Romualdus ſe ad Eremum contulit.

TRans mare ùt audivit, quòd eremo vita Marino
Sancta ſit; ut valeat, liber abire petit.
Quem veniâ Abbatis ſic ad ſe pervenieniem
ILLICò CongaVDens eXCIpIt Iste seneX.
Sic flamma erupit, latuit, quæ corde per annos
Multos; en nemorum jam pia luſtra colit!

Cúmque in ejus animo perfectionis amor magìs, ac magìs in dies creſceret, nullámque mens ejus requiem inveniret, audivit, quia in Venetiarum partibus quidam ſpiritualis vir eſſet, Marinus nomine, qui Eremiticam duceret vitam. Conſenſu itáque ab Abbate, & fratribus, nimirum facillimè impetratô, ad prædictum venerabilem Virum navigio diſcurrente pervenit, & ſub illius regimine degere humillima mentis devotione inſtituit. Erat autem Marinus inter cæteras virtutes vir ſimplicis animi, & ſinceriſſimæ admodùm puritatis, nullo quidem magiſteriô eremiticæ converſationis edoctus, ſed ad hanc ſolummodò bonæ voluntatis impulſu fuerat incitatus. Porrò autem hunc vivendi morem habebat, ut per continuum anni circulum tribus in hebdomada

mada feriis mediam panis buccellam,& pugillum fabæ gustaret: tribus verò vinum & pulmentum discreta sobrietate perciperet. Psalterium quidem per dies singulos totum canebat. Sed nimirùm rudis, & nullatenus ordine vitæ singularis instructus, sicut ipse postmodum Beatus Romualdus hilaritèr referebat, plerúmque de cella exiens, unà cum Discipulo passim per latitudinem eremi psalendo spatiabatur, nunc sub ista arbore vicenos, nunc sub illa tricenos, vel quadragenos concinens Psalmos. Romualdus autem, quia sæculum idiota reliquerat, aperto Psalterio, vix suorum versuum notas syllabatim explicare valebat: & hæc oculorum in ima defixio intolerabilem sibi importunitatem accidiæ generabat. Marinus verò virgam in dextera gerens, Romualdo è diverso sedenti sinistram capitis partem sæpissimè verberabat. Post multa autem Romualdus gravi admodùm necessitate compulsus, humilitèr ait: *Magister, si placet, à dextero me deinceps tempore percute, quia jam lævæ auris auditam funditùs perdo.* Tunc ille tantam ejus patientiam admiratus, indiscretæ severitatis temperat disciplinam.



Grande nefas o Petre patras! ut Sceptra teneres,
non horres mortis causa fuisse Ducis?
noxam fac doleas, Supremi Iudicis ira
nè te præveniat, duriùs inde luas,
hæc Romualdus. ÿ: Petrus, complexq; Ioannes
nuntia dant mundo, Se dat uterq; Deo.

CAPUT V.

Qualiter Petrus Urſeolus eſt primò Dux factus, & poſtmodùm ſit converſus.

GRande nefas ô Petre patras! ut Sceptra teneres;
Non horres mortis cauſa fuiſſe Ducis?
Noxam fac doleas, Supremi Judicis ira
Ne te præveniat, duriùs inde luas,
Hæc Romualdus. Ii; Petrus, compléxque Joannes
Nuncia dant mundo, ſe dat uterque Deo.

EOdem ferè tempore Petrus cognomine Urſeolus, Dalmatici Ducatûs gubernabat habenas. Qui videlicèt ad hujus faſtigium dignitatis aſcendere idcircò meruerat: quia deceſſoris ſui, Vitalis ſcilicètCandiani, peremptoribus fautor extiterat. Cur autem ille à ſuis extinctus ſit, non abs re eſſe arbitror, ſi ſervatæ compendiô brevitatis exponam. In conjugium námque Germanam Hugonis magni illius Marchionis acceperat, & æmulatione Leviri ſuadente, multos, ex Longobardiæ & Tuſciarum partibus milites profligatis pecuniarum ſtipendiis, acquirebat. Hoc autem Venetiarum

incolæ non ferentes,clam inière consilium, ut repentino impetu Ducis palatium armati violentèr irrumperent, eúmque cum omni domo sua in ore gladii absque ulla retractatione necarent. Hujus deníque conventiculæ conjuratione comperta, Vitalis Dux, nocturnis, diurnísque vallatus excubiis, hostiles insidias ad nihilum redigebat. Illis autem hæc, & illa tentantibus, sed ad inceptæ factionis effectum attingere non valentibus, tandem visum est, ut Domum Petri, quæ Ducis Palatio adjacebat contigua priùs incenderent: Istóque modo, & Ducem caperent, & universa ejus domestica concremarent. Istius verò rei experiendæ consensum à Petro, qui eorum consilii particeps fuerat, flagitantes, hujus tandem mercedis fœdere pacti sunt,ut pro una ejus domo, quam igne consumerent totam ditioni illius Venetiam subderent: & deleto illô, quem exosum habebant, Ducem hunc locò ejus protinùs subrogarent. Hoc igitur modò Petrus Dalmatici Regni adeptus est Principatum, qui postmodùm ambitionis suæ jam voluptate potitus, respectu Divinæ gratiæ demum corde compunctus est.

Quidam autem venerabilis Abbas, Guarinus nomine, ex ulterioris Galliæ finibus ora-

orationis gratiâ per diversas mundi regiones peregrinari solitus erat. Hic quóque ad Ducem veniens, ab eo protinùs, ut sibi ad evadendum tanti reatûs periculum, consultum præberet, exactus est. Accersitîs igitur Marino & Romualdo hoc sibi communi jubetur sententiâ; ut sæculum, simul cum ipso, quem per nefas invaserat, Ducatu, relinqueret: & quia ad alienæ dominationis arcem injustè proruperat, ipse se alienæ potestatis dominio subjugaret. Ille autem homo nimirum in potestate positus: quia conversionem suam manifestè facere ausus non est, tutum putavit hoc utendum esse consiliô. Imminente igitur festivitate sancti cujusdam Martyris, ex cujus vocabulo Basilicam in propria possessione adhuc privatus habuerat, illic pridie Uxorem suam præmisit, ipse quasi mox secuturus; hoc ei præcipiens, ut & ornatum Ecclesiæ accuratissimum provideret, & secum venientibus sumptuosas epularum delicias in crastinum præpararet. Ipse autem post conjugem remanens, his de suis thesauris, quæ sibi videbantur, ablatis, cum quodam suo familiari, Joanne scilicèt Grandenico, qui præfatæ conjurationis conscius fuerat, & cum tribus illis Beatis Viris, quos præposuimus, navem ascendit, deinde in Galliam

ad Monasterium Quarini magnus conversus aufugit. Petro igitur & Joanne Monachîs in sancti Michaëlis cœnobio factis; Marinus & Romualdus non longè à Monasterio degentes ad singularem vitam, cui asueti fuerant, revertuntur. Quibus etiam ipsi jam dicti fratres, peractô vix annuô spatiô, ad perferendam ejusdem solitudinis districtionem aggregati sunt.





6.



Annus abit; ciceris, quo non nisi forte pugillus
elixi fuerat qualibet esca die,
tres abiêre, quibus simul is, Sociusq; Joannes
terram indefessâ concoluêre manu,
tanta Senex spectat multum miranda Marinus
DeVoVet hInC se nVnC, CVI CapVt ante fVIt.

CAPUT VI.

Qualiter Sanctus Romualdus uno annô de pugillo ciceris per diem, & tribus annis de sua agricultura vixit.

ANnus abit; ciceris, quô non nisi fortè pugillus
Elixi fuerat quâlibet esca die.
Tres abiêre, quibus simul is, sociúsque Joannes
Terram indefessâ concoluêre manu.
Tanta Senex spectat multùm miranda Marinus
DeVoVet hInC se nVnC, CVI CapVt ante fVIt.

INterea Romualdus accenso mentis desiderio, cœpit de virtutibus in virtutes mirabilitèr crescere, & reliquos fratres sanctæ conversationis gestibus longiùs anteire: ut jam quidquid inter fratres, sive de spiritualibus, sive etiam de corporalibus ipse decerneret, cunctis volentibus, ejus omninò sententia prævaleret. Ipse quoque Marinus gaudebat Romualdo esse devotus, cui nuper fuerat ipse prælatus. Per continuum quippè annum Romualdus nihil aliud in cibum habuit, nisi tantùm per singulos dies ex uno pugillo elixi ciceris vixit. Tribus verò annis ipse, & Joannes Grandenicus sarculis terram frangentes, & triticum seminantes, ex manuum suarum labore vixerunt. Qui nimirum dum agriculturam exercebant, pondus jejunii duplicabant.

7.



Hic miles Christi, quæ non monstra, horrida monstra
Sustulit, et stimulos, Carnis, honoris, opum!
quinque quiescentis dæmon crura occupat annis,
Corpus ut infestans, læderet ipsam animam.
Sed hæc cuncta uno Romualdus Nomine JESU
vicerat inde Deo grata trophæa ferens.

CAPUT VII.

De diverſa pugna diaboli, quam ſuſtinuit.

HIc Miles Chriſti quæ non monſtra, horrida monſtra
Suſtulit, & ſtimulos, carnis, honoris, opum?
Quinque quieſcentis dæmon crura occupat annis,
Corpus ut infeſtans, læderet ipſam animam.
Sed hæc cuncta unô Romualdus nomine JESU
Vicerat, inde Deo grata trophæa ferens.

IMpugnabat tamen diabolus Romualdum multis,& variis tentationum immiſſionibus, maximè initio converſionis, mentémque ejus per multa vitiorum incentiva raptabat, modò illi in memoriam revocans, quæ & quanta, ùt puta vir ſtrenuus in ſæculo aquirere potuit; modò,quæ ingratis propinquis, nec dum poſt ſe concupiſcibilitèr hæreditanda reliquit; modò parva nimis, & nullius meriti eſſe, quæ faceret, accuſabat; modò tanti laboris horrorem incutiens, longæ vitæ ſpatium promittebat. O quàm ſæpè cellulam ejus percutiens, eum cùm adhuc vix obdormiſceret, excitavit, & quaſi jamjam imminente crepuſculo, per totam noctem vigilando deduxit! per continuum fermè quinquennium, ſuper pedes ejus, & crura diabolus nocturno tempore jacuit:

jacuit: & ne huc, illùcque ſe facilè verteret, typô phantaſtici ponderis aggravavit. Quis explicare valeat, quot frementes vitiorum beſtias pertulit? quàm ſæpè præſentes iniquos ſpiritus duriſſimis increpationibus effugavit? unde etiam ſi fratrum aliquis ſilentii tempore cellam ejus quavis neceſſitate compulſus adiret, ſtatim miles Chriſti paratus ad prælium, ſolito more, ipſum eſſe exiſtimans diabolum, claris vocibus increpabat, dicens: *Quo tendis modò turpiſſimè? quid tibi in eremo de cœlo dejecte? Recede canis immunde, evaneſce, coluber veternoſe.* His igitur, & hujuſmodi verbis declarabat ſe cum malignis ſpiritibus in acie ſemper aſſiſtere, & fidei ſe armis accinctum, provocantibus hoſtibus in campum protinùs obviare.



CA-



Strictius Observat jejunia quinque per annos
atq; decem ex vitâ fors sibi nota Patrum.
Genûa Sed inflectens Petrus Pater inclite dicit;
non par sum tantis; auxit ei inde dapes,
fratribus huncipsum pastorem aliquando futurum
nuntiat et factum est, dixit ut ante Suis.

CAPUT VIII.

Unum genus vitæ ſancti Romualdi: & de pœnitentia Petri Ducis, & Prophetia ejus.

STrictiùs obſervat jejunia quinque per annos,
Atque decem ex vita fors ſibi nota Patrum.
Genûa ſed inflectens Petrus Pater inclite! dicit:
Non par ſum tantis; auxit ei inde dapes.
Fratribus hunc ipſum Paſtorem aliquando futurum
Nunciat, & factum eſt, dixit ut ante ſuis.

COntigit autem, ut aliquando librum de vita Patrum legens, in illum locum incideret, ubi continetur, quòd quidam fratres per continuam hebdomadam ſingularitèr jejunantes, Sabbatorum die paritèr convenirent; ipſóque, & Dominico die jejunii rigorem interponerent, & remiſſiùs victitarent. Quem vivendi ordinem ſtatim Romualdus arripuit, & in eo quindecimferè annis, vel eo ampliùs continua auſteritate permanſit. Petrus autem Dux, quia multis educari deliciis ſolitus fuerat, jamjam ſub tam diſtricti jejunii pondere ſuccumbebat. Unde ſe ad pedes Beati Romualdi humiliter ſtravit. Juſſus verò, ut ſurgeret, neceſſitatem ſuam cum verecundia coactus aperuit. *Pater* ! inquit : *quia*

ma-

magnum corpus habeo, pro peccatis meis ex hac paximatii medietate ſuſtentare me non poſſum. Romualdus igitur fragilitati piè compatiens, conſuetæ menſuræ quadram paximatii ſuperaddidit, & ſic labenti jam fratri, nè omninò deficeret, miſericordiæ manum tetendit, & ad peragendum benè vivendi iter, quod cœperat, confirmavit. Hunc filius ejus ſibi æquivocus, vir valdè ſecundùm ſæculum prudens, aliquando viſitavit. Cui Pater, neſcio, utrum prophetiæ ſpiritu, ſeu revelatione aliqua? quæcúnque ſibi eſſent eventura prædixit. *Novi,* inquit, *fili mi, procul dubio, quia Ducem te conſtituent, & proſperaberis. Tu tantummodò ſatage, ut & Eccleſiis Chriſti ſua jura conſerves, & erga ſubditos alicujus amore vel odio à juſtitia non declines.*



CA-

9.



Arcta parùm laxat jejunia motus amore
fratrum, semper aiens: sit Sitis atq; fames;
Somno uti parce |: ne mens oppressa Sopore
Numinis obsequijs sit minus apta monet;
dictis sub noctem hinc precibus dormisse: repertum
non potuisse Sacras |: sanxit: | adire dapes.

CAPUT IX.

Aliud vivendi genus Sancti ROMUALDI.

ARcta parùm laxat jejunia motus amore
Fratrum, ſemper ajens: ſit ſitis átque fames.
Somnô uti parcè (nè mens oppreſsa ſopore
Numinis obſequiis ſit minus apta) monet.
Dictìs ſub noctem hinc precibûs dormìſſe repertum
Non potuiſſe ſacras (ſanxit) adire dapes.

POſt hæc autem Romualdus iterum legens, quia ſanctus Sylveſter Urbis Romæ Epiſcopus Sabbatorum diem jejunandum eſſe, ut revera ſancti Paſchatis Vigilias inſtituerit, mox remiſſionem Sabbati in quintam feriam commutavit, & ſic infirmorum imbecillitati conſulens longum jejunium diſcretione habita faciliùs reddidit, hanc nimirùm vivendi regulam cunctis ſectatoribus ſingularis vitæ præfigens, ut tunc ſe unusquísque eremiticæ vitæ jejunium tenere cognoſcat, ſi per hebdomadam triduanas, & biduanas jejunando quinta feriâ, & Dominicis diebûs olera, vel quodcúnque liquamen cum gratiarum actione percipiat, exceptis videlicèt duabus anni Quadrageſimis, in quibus non ſolùm ipſe, ſed & plerique ſui Diſcipuli totius hebdo-

madæ ſoliti erant continuare jejunium. Et certè ſatis congruum erat, ut, qui Deum in choro laudare ſemper ſtudebat, & tympano, præcipuas modulationis harmonicæ conſonantias, Diapaſon videlicet & diapente, atque Diateſſeron jugitèr in aures incircumſcripti luminis perſonaret. Jejunare autem omninò, hoc eſt, diem absque ullo cibo tranſigere, licèt ipſe ſæpiſſimè fecerit, aliis omni modo prohibebat. Dicebat enim ad perfectionem tendenti hoc ad ſummè congruere, ut quotidie commedat, & ſemper eſuriat, quatenùs hoc caro per conſuetudinem leviget, quod grave Novitiis initio converſionis apparet. Parvi pendebat autem ſi quis ad tempus magnum quid inciperet, ſi non etiam in eo longanimitèr perſeveraret.

Vigilias verò temperatè & cum magna diſcretione faciendas maximè ſuadebat, nè cui fortaſſe contingeret, ut ſopori, peractis nocturnis officiis, conſentiret. Sanè hujuſmodi ſomnum Vir ſanctus in tantum habebat exoſum, ut ſi quis ei confiteretur, poſt duodecim Pſalmorum vigilias, vel maximè circa diluculum obdormîſſe, nequaquam poſſet eo die cum ejus licentia Sacra Miſſarum Solemnia celebrare. Dicebat etiam meliùs eſſe, ſi poſſibile ſit, unum Pſalmum

mum ex corde, & cum compunctione cantare, quàm centum cum mentis fabulatione percurrere. Cui autem hæc gratia perfectè data non esset, hortabatur tamen, nequaquam desperare, nequaquam vel ab ipsa corporali exercitatione tepescere, donec ipse, qui voluntatem dedit, tribuat etiam aliquando facultatem. Tantummodò orationis incensum mentis intentio in Deum semel fixa custodiat, quod exteriùs veniens cogitationum aura perturbat. Ubi enim est intentio recta, contra voluntatem cogitatio veniens non est nimiùm formidanda.





Per comitem Patri devoto vacca Colono
vi rapitur, petit hic à Patre tristis opem;
accedens reddi vitulam Pater orat, at illinc
re non effectâ, cogitur ire domum
en! quas ille precés tempsit, Deus audÿt ultor
vaccæ hærente bolô faucibus ille perit.

CAPUT X.

De Comite, qui vaccam rapuit, & eam comedendo, necatus eſt.

PEr Comitem Patri devoto vacca colono
Vi rapitur, petit hic à Patre triſtis opem.
Accedens reddi vitulam Pater orat, at illinc
Re non effectâ, cogitur ire domum.
En! quas ille preces tempſit, Deus audiit ultor.
Vaccæ hærente bolô faucibus ille perit.

QUodam verò tempore, dum adhuc in Galliæ finibus moraretur, familiarem ſibi quemdam habebat agricolam, qui ſibi & utenſilia, quibus in cella opus eſt, aliquando faciebat, & ſi quid ei opportunum eſſet, ditior charitate quàm rebus de ſuæ paupertatis inopia hilaritèr miniſtrabat. Hujus vaccam Comes quidam ſuperbus, & tumidus miſſis paraſitis, impetu barbarico rapuit, ejúsque carnes præparari ſibi ad prandium cum magna gulæ aviditate præcepit. Eccè autem Ruſticus cellam Romualdi feſtinus aggreditur, jacturæ ſuæ caſum clamoſis ululatibus vociferatur, ſpem ſuam, & ſuæ domus ablatam eſſe conqueritur. Sanctus itáque Romualdus ad eundem Comitem concito gradu nuncium dirigit,

rigit, & ut pauperi animal ſuum reddat, humillima ſupplicatione depoſcit. Cujus preces lubricus Comes protervo ſpiritu reſpuit, & quem ſaporem craſſæ vaccæ lumbi potuiſſent habere, quia ipſo die eſſet guſtaturus, aſſeruit. Adveniente autem hora prandii, appoſita mensâ, vaccæ carnes allatæ ſunt, & Divinæ ultionis jam iminente ſententia in ipſo edendi initio Comes fruſtum bovini renis abſcindens, ſibi in os miſit. Quod repentè in illius gutture tam immobilitèr hæſit, ut nec ad interiora deſcendere, nec foras ejici, ullis conatibus potuiſſet. Sicque inter ſuorum manus, intercluſo ſpiraminis aditu, terribili morte necatus eſt. Et unde contra Dei ſervum concupiſcentiam carnis explere ad ſaturitatem voluit, inde juſto Dei judicio carnalem vitam adhuc jejunus amiſit.



11.



Stemmate natali præclarus Olibanus Almi
multo cum socio limina Patris adit:
èI seCreta sVI pans VrVs VVLnera CorDIs
fLagItat, aC sIbI fors sIt sVper anne saLVs?
nulla (: reponit ei:) mundum ni fugeris; et sic
quod timuère alÿ, non timet ille loqui.

CAPUT XI.

De Olibano conversionem promittente.

STemate natali præclarus Olibanus Almi
Multo cum Socio limina Patris adit.
xI seCreta sVI pansVrVs VVLnera CorDIs,
FLagItat aC sIbI fors sIt sVper annè saLVs?
Nulla (reponit ei) mundum nî fugeris; & sic
Quod timuêre alii, non timet ille loqui.

ALius quidam Comes, Olibanus nomine, in eisdem Galliarum partibus erat, sub cujus jure Monasterium quóque prædicti Quarini Abbatis fuerat positum. Qui sublimi quidem culmine terrenæ potestatis erectus, sed multis erat peccatorum molibus aggravatus. Hic aliquando Romualdum gratiâ visitationis adiit, & cæteris extra cellulam manentibus, solus cum solo gestorum suorum seriem narrare quasi per confessionem cœpit. Cui Vir venerabilis, his, quæ ab eo referebantur, auditis, respondit, alitèr eũ salvari minimè posse, nisi mundum relinquens, ad Monasterium convolaret. Comes autem mox mente turbatus ait: quia videlicèt sui spirituales Viri, qui ejus acta cognoscerent, nequaquam ita sentirent, néque tam intolerabilem rem

 sibi

ſibi aliquando ſuaderent. Aſcitis itáque, Epiſcopis & Abbatibus, qui ſecum venerant, cœpit in commune perquirere, ſi ita res ſicut Dei ſervus teſtabatur, ſe haberet. Illi autem Beati Romualdi ſententiam omnes una voce confirmant, ſe autem id Comiti eatenus non dixiſſe, terrore conſtrictos excuſant. Tunc Comes, ſemotis omnibus, hoc cum Beato Romualdo, ſecreto valdè conſilio pepigit, ut ad Caſinum Montem ſub prætextu orationis pergeret, & in Monaſterio ſancti Benedicti Divino ſe ſervitio irrervocabilitèr manciparet.



CA-

12.



Coenobium genitor quod tendat linquere, fratres:
abşenti Satagunt insinuaşse Patrè.
nuntia percipiens nunquàm expectata Stupescit,
quid sibi, quidq; illi, /: mente revolvit:/ opus?
nVnC qVarIne tIbI, et Ioannes OLIbanI. /: aIt:/ sIt,
CVra. IsthInC VeLoX patrIæ aDIbo pLagas.

CAPUT XII.

De Sergio ad ſæculum reverti volente.

COenobium genitor quod tendat linquere fratres,
Abſenti ſatagunt inſinuâſſe Patri.
Nuncia percipiens nunquam expectata ſtupeſcit
Quid ſibi, quidque illi (mente revolvit) opus.
NVnC GVarIne tIbI, & Ioannes oLIbanI (aIt) sIt,
CVra, IsthInC VeLoX patrIæ aDIbo pLagas.

INtérea Sergius Pater Romualdi Monachus efficitur, ſed aliquantò poſt ſuadente diabolo factæ converſionis pœnitens, in Ægyptum redire conatur. Quod protinùs Monachi, Cœnobii videlicèt ſancti Severi, quod non longiùs ab urbe Ravennæ eſt poſitum, ubi corpore non corde Sergius habitabat, Beato Romualdo indicare per nuncium ſtuduerunt. Hac ille ſiniſtra relatione perculſus, neceſſarium eſſe decrevit, ut Guarinus Abbas & Joañes Grandenicus unà cum Comite ad ejus converſationem pergerent, ipſe verò pereunti Patri quantocyus ſubveniret. Petrus autem Dux extremum jam diem felicitèr clauſerat. His itáque duobus Comitem in eorum fide commiſit, utríque quidem, ſed Joanni præcipuè, qui ei ſubditus erat, per obedientiam ſpecialitèr mandans, ut etiam ſi Guarinus abſcederet, ipſe ſe nunquam à Comite ſepararet.



*Ferre necem populus Sancto studet hinc abituro
ut, dum non vivum, mortuum habere queat
quod Pater ut scivit mentis deliria fingit,
fingit, et evadit siccè pericla necis.
deìn Genitoris carcere, compede, verbere corpus
mulctat, ut ipsam animam servet ab interitu.*

CAPUT XIII.

De prudentia ſanctiRomualdi, & labore itineris, & de diſciplina in Patrem.

FErre necem populus Sancto ſtudet hinc abituro;
Ut dum non vivum, mortuum habere queat.
Quod Pater, ùt ſcivit, mentis deliria fingit,
Fingit, & evadit ſiccè pericla necis.
Deîn genitoris carcere, compede, verbere corpus
Mulctat, ut ipſam animam ſervet ab interitu.

AUdientes autem illius Regionis incolæ, quia Romualdus abire diſponeret, nimio mœrore turbati ſunt. Et tractantes intrà ſe qualitèr ab hac illum intentione reprimerent, hoc illis tandem potiſſimùm viſum eſt, ut eum miſſis interfectoribus, impia pietate perimerent, quatenùs, quia eum non poterant retinere viventem, haberent pro patrocinio terræ, vel cadaver exanime. His verò cognitis Romualdus caput ſuum undique decaluavit, & hujus rei executoribus cellulæ ejus jam appropinquantibus, primo ferè diluculô comedere quaſi per aviditatem cœpit. Illi autem hoc videntes, dementiam credidêre, & arbitrantes mentem læſam eſſe, corpus lædere dedignati ſunt. Sic videlicèt, ſic prudens

ſpiri-

ſpiritualis David inſaniâ ſtultam carnalitèr ſapientium ſuperavit aſtutiam. Nam & volentes peccare cohibuit, & ad meritorum ſuorum cumulum ſine mortis formidine, mortis periculum declinavit. Deinde jam liberâ uti facultate permiſſus, non equo fultus, non vehiculo deportatus, ſed ſolùm in manu ferens baculum, nudis plantis ex intimis Galliarum finibus Ravennam uſque pervenit, ibíque Patrem ad ſæculum reverti volentem reperiens, in ligno pedes ejus fortiter ſtrinxit, gravibus eum vinculis alligavit, verberibus duris afflixit, & tam diu corpus ejus pia ſeveritate perdomuit, donec ejus mentem ad ſalutis ſtatum, DEO medente reduxit.



14.



Non bene conveniunt, nec in unâ Sede morantur
dæmon, atq; Deus, dant enim utrinq; vices.
Sergius est testis, cui victo dæmone Sanctus
Spiritus apparens ignea corda dedit.
Orbe hôc IgnItVs sIC eXIt SergIVs astra
Captans eLIJsIJs refICIenDVs aqVIs.

CAPUT XIV.

Quomodo Sergius vidit Spiritum Sanctum.

NOn benè conveniunt, nec in una ſede morantur,
Dæmon, átque Deus, dant enim utrínque vices.
Sergius eſt teſtis, cûi victo dæmone Sanctus
Spiritus apparens ignea corda dedit.
Orbe hoC IgnItVs siC eXIt sergIVs aſtra
Captans eLIIsIIs refICIenDVs aqVIs.

SErgius igitur tandem ſanæ mentis recepto conſilio quidquid priùs retrograda voluntate deliquit, multiplicitèr poſtmodùm rectis ſanctæ converſationis greſſibus emendavit. Habebat deniquè inter cætera conſuetudinem, antè quamdam Salvatoris imaginem frequentèr aſſiſtere, ibíque peculiariùs orans, uberibus lachrymis, & multa ſe cordis contritione mactare. Quadam igitur die, dum ibi attentiùs in oratione perſiſteret (nova res, & noſtris temporibus inaudita) repentè ſibi, neſcio qua ſpecie, Spiritus Sanctus apparuit. Qui protinùs à Sergio quis eſſet? interrogatus, manifeſtè, quia ipſe eſſet Spiritus Sanctus, aſſeruit, & ſubitò quaſi pertranſiens, ab oculis ſe aſpicientis evaſit. Statim ille in extaſim raptus, atque ejus, quem viderat, igne ſuccen-

ſuccenſus, cœpit per Clauſtrum Monaſterii poſt eum velocitèr currere, fratrésque, qui illic aderant, magno fervoris impetu, quò Spiritus Sanctus abîſſet, interrogare. Illis autem in inſaniam eũ cecidiſſe putantibus, atque illum durè corripientibus, aſſerebat Sergius ſe Spiritum Sanctum abſque ulla dubietate vidiſſe, & ante ſuum conſpectum viſibilitèr pertransîſſe; qui ſtatim languore correptus, lecto decubuit, & intrà paucos dies felici conſummatione finivit. Hinc ſanè probatur quòd Divina voce ad Moyſem dicitur: *Non enim videbit me, homo, & vivet.* * Hinc Daniel cum non Deum, ſed viſionem Dei ſe conſpexiſſe diceret, addidit: *Elangui & ægrotavi per dies plurimos.* * Rectè igitur Sergius, poſtquam æternam vitam, quæ Deus eſt, cernere meruit, à temporali vita mox defecit.

* *Exod.* 33. 21. * *Daniel.* 8. 27.



CA-

15.



En cum Quarino /: peregrini more :/ Joannes
ùt comes /: at tempto rursus Olibano :/ abit
sed luit infelix spernens mandata Magistri,
dum fuerat lapsu pes sibi fractus, equi.
fortior at casu surgit, cũi posteà ferè
acta triginta annis aspera vita fuit.

CAPUT XV.

De Crure Joannis propter inobedientiam fracto.

EN cum Guarino (peregrini more) Joannes
 Ut Comes (at tempto rursus Olibano) abit,
Sed luit infelix spernens mandata Magistri,
 Dum fuerat lapsu pes sibi fractus, equi,
Fortior at casu surgit, cûi postea ferè
 Acta triginta annis aspera vita fuit.

OLibanus autem Comes sua relinquens filio, multa divitiarum copiâ, quindecim scilicet onustis thesauro Sagmariis, comitantibus eum Guarino & Joanne, ipso quóque Marino, ad Beati Benedicti se Monasterium contulit, & vale dicens his, qui secum venerant, nîl tale de eo usquè tunc suspicantes, multis gemitibus, & amaris se fletibus affligentes, ad propria remeare coëgit; Marinus autem paulò post Apuliam versùs abiit, ibíque postmodùm in solitudine habitans, ab Agarenis est latrunculis interfectus. Brevi post tempore Guarinus, orationis causâ discurrere solitus, Joannes verò fratris exemplo, ad idem religionis officium provocatus, Hierosolymam commeare pari consilio decreverunt. Hoc igitur Olibanus cognitô, tristis & flens, obse-

obſecrare devotiſſimè cœpit, ne ſe violata fide deſererent, ſed ſicut Beatus Romualdus præceperat, in Dei illum ſervitio cuſtodirent; addens etiam: *Memento tu ſaltem Joannes, quia Magiſter tuus in tua me propenſiùs fide commiſit, & titulum tibi inobedientiæ ſi diſcedis, oppoſuit.* Illi autem obſtinata intentione in propoſito perſiſtentes, relicto tandem Olibano peregrinationis iter arripiunt. Cúmque deſcendentes de monte jam in campeſtria declinaſſent, figentes ſe loco, neceſſariũ aliquid inter ſe tractare cœperunt. Et inter agendũ, ſubitò Guarini equus furioſo rotatus impetu in aliam partem, invito ſeſſore divertit, & Joannis tibiam ferrato calce percutiens fregit. Qui illicò ad terram nimio dolore proſtratus, jam ſerò memor Magiſtri præcepta ad mentem revocat, & ſe perfidum, ſe inobedientiæ reum verbis publicæ confeſſionis accuſat. In fracto námque crure didicit, quia fidem frangere peccatum fuit. Et quia ipſe rationis capax Magiſtro inobediens extitit, ad incolumitatis ſuæ cuſtodiam irrationale animal ſeſſori obedire neſcivit. Deinde illuc unde venire cœperat, rediens, cellam ſibi ædificari propè Monaſterium petiit, ibíque per triginta ferè annos, quàm diù vixit, in ſancta converſatione permanſit. Multa in eo charitas, mira humilitas, abſtinentia verò di-

ſtri-

ſtricta nimis & cauta; ita ut nec infra Clauſtrum Monaſterii quiſpiam ſciret, Vir ſanctus qualitèr jejunaret. Inter reliqua autem virtutum dona ita exoſum habebat detractionis vitium, quatenus mox, ut quis ad detrahendum os aperiret, velut ſagitta vigore lapidis repercuſſa, in dirigentem protinus redundaret, ita ab eo illius obtrectatio reprimeretur. Poſt ejus verò obitum nonnulla per eum miracula divinitùs facta ſunt.



16.



Vespere ubi quodam Romualdus in æde reclusꝰ
orat, non solitus membraq; corq; tremit;
hem Stygis in Sacrum prorumpunt monstra cubile.
percutiunt plagis saucia membra feris.
ah gemit et clamat: bone Iesu, charus Iesu!
quo cito seu tonitru tacta dedere fugam.

CAPUT XVI.

De Sancto Romualdo à dæmonibus percusso.


VEspere ubi quodam Romualdus in æde reclusus
Orat, non solitus membráque córque tremit.
Hem! stygis in sacrum prorumpunt monstra cubile,
Percutiunt plagis saucia membra feris.
Ah gemit, & clamat: Bone JESU! Charus JESU!
Quo citò seu tonitru tacta dedêre fugam.

ROmualdus autem post Patris correptionem, in pallude Classis cellulam figens, in loco, qui pons Petri dicitur, habitavit. Postmodùm verò non corporis ægritudinem metuens, non fœtoris nauseam perhorrescens, sed nè imbecillitatis occasione quantumlibet se abstinentiæ rigore remitteret, ad Classis itidem prædium, ubi est Ecclesia Beati Martini, quæ dicitur in Sylva, migravit. Ibi verò quadam die dum Completorium cerneret, quia antiquum illic cœmeterium fuerat, ut sæpè fit, subitò illi ex hujusmodi recogitatio incidit, móxque ejus animum magnus phantasticæ illusionis horror invasit. Cúmque hoc crebriùs in mente revolveret, eccè maligni spiritus repentino impetu cellam ejus ingressi, protinùs illum in terram sternunt, immani

eum cæde conficiunt, & exhauſtis longo jejunio membris, duriſſimos ictus illidunt. Tandem Romualdus inter ipſa percuſſionum verbera reſpectu Divinæ gratiæ viſitatus, in hanc vocem erupuit: *Chare JESU! dilecte JESU! quare me dereliquiſti? nunquid omninò me inimicorum manibus tradidiſti?* Ad hæc omnes iniqui ſpiritus Divina virtute fugati ſunt. Et continuò tanta Divini amoris compunctio Romualdi pectus accendit, ut totum cor ejus in lachrymas quaſi cera liqueſceret, & de tot alliſionibus ſauciati corporis nil ſentiret. Mox ſanus & validus de terra ſurrexit, & licèt impediente adhuc ſanguine, ad eundem Pſalmi verſum, quem reliquerat, rediit. In ingreſſu quippe dæmonum feneſtra cellulæ in frontem illius impegit, in qua manifeſta poſtmodum cicatrix occaluit, quæ evidens vulneris indicium, quàm diù Vir ſanctus vixit, oſtendit.



CA-



17.



Sæpè triumphator Romualdus ab hoste reversus
nullas insidias, nulla pericla timet
non timet æthiopum, non Corvi, nonq; ferarum
formas atroces hoste ferente stygis.
hinc studet in monachos dæmon Suâ tela dedisse
his læsus læsis ut Pater ipse foret.

CAPUT XVII.

De iniquis Spiritibus, qui sibi velut diræ volucres apparebant.

SÆpè triumphator Romualdus ab hoste reversus,
Nullas insidias, nulla peric'la timet.
Non timet Æthiopum, non corvi, nónque ferarum
Formas atroces hoste ferente stygis.
Hinc studet in Monachos dæmon sua tela dedisse,
His læsus læsis, ut Pater ipse foret.

JAm igitur miles Christi asueto bello robustior, studebat quotidiè ad majora proficere, de virtutibus in virtutes crescere, & semper semetipso fortior, nullas jam poterat enervati hostis insidias formidare. Sæpè enim sibi in cella residenti velut deterrimi corvi, vel vultures, iniqui Spiritus videbantur assistere, & quasi ad custoditum animalis cadaver, quia non audebant accedere, cogebantur eminùs expectare. Sæpè se in figuris æthiopum, sæpè se per diversorum animalium species ostendebant. Quibus clarus Christi Triumphator insultabat, dicens: *Ecce paratus sum venite; & si qua in vobis virtus, ostendite. Numquid jam omninò deficitis? numquid jam victi estis, & aliquas contra Dei servulum certandi machinas non habetis?* His denique, & hujusmodi verbis confun-

dens iniquos Spiritus confestim eos, velut missis totidem jaculis, effugabat, quapropter videns diabolus quia per semetipsum contra Dei famulum prævalere non posset, ad callida argumenta conversus quocúmque Vir sanctus ibat, discipulorum ejus animos adversùs eum in malitiam excitabat; ut quia retinere eum ab accenso sui fervoris impetu impossibile fuerat, saltem ab alienæ salutis cura compesceret: & quia ipse ab hoste superari minimè posset, vel ex aliis victoriam non negaret.





Quas sibi misit opes devotus Marchio, Sanctus
in Causas Studuit distri buiße pias.
Sed Styge mota cohors Claustri/: ceû prodigus esset:/
verbera dira dabant, /: impia facta:/ Patri,
nocte Sequente domus ruit, heu! fere opprimit omnes;
Sic poena est noxæ, mox data cuiq; Suæ.

CAPUT XVIII.

De Monachis S. Romualdum verberantibus, & Divina ira percussis.

QUas sibi misit opes devotus Marchio, Sanctus
In causas studuit distribuisse pias.
Sed styge mota cohors Claustri (ceû prodigus esset)
Verbera dira dabant (impia facta?) Patri,
Nocte sequente domus ruit, heu! ferè opprimit omnes,
Sic pœna est noxæ, mox data cûique suæ.

ALiquando námque ad locum, qui Balneum dicitur, qui videlicèt in Saxenati constitutus est territorio, transiit: ubi etiam non pauco tempore comorans, Monasterium ad B. Archangeli Michaëlis honorem construxit, à quo non longè cellam in ea habitaturus intravit. Illuc autem Hugo Marchio septem sibi pro necessitate misit numismatum libras, quas ille, ut benè prodigus misericorditèr dispensaret, accepit. Audito itáque, quòd Monasterium Palatioli fuisset igne consumptum, sexaginta Solidos de prædicta pecunia fratribus in adjutorium direxit, reliquam autem, ut in simile opus expenderet, reservavit. Cognito hoc Monachi S. Michaëlis, belluino contra eum furore commoti sunt, tum quia pravis

eorum moribus contrarius jam in multis extiterat, tum quia, quæ illi deferebantur, non eis omnia, ſed quædam aliis impendebat. Factâ igitur conſpiratione unanimitèr cellam ejus cum ſudibus, & phalangis irrumpunt, verberibus eum multis afficiunt, & direptis omnibus turpitèr dehoneſtatum de finibus ſuis expellunt. Cùm itáque eliminatus abiret, & nimia triſtitiæ vis in mentis ejus jam interiora deſcenderet, hoc apud ſemetipſum deliberat, ut jam de cætero ſua contentus, alienæ ſalutis curam omnino poſtponat. Poſtquam videlicèt cogitationem tantus animum ejus terror invaſit, ut ſi in eo, quod mente conceperat, obſtinatè perſiſteret, periturum ſe, damnandúmque Divino judicio nullatenus dubitaret. Monachi autem compotes diù deſideratæ ultionis effecti, & quaſi projecto gravi onere levigati, hoc, quod in Dei famulum egerant, multis inter ſe laudibus efferunt, & in immoderatum ludum, átque cachinum ſe, lætitia lenocinante reſolvunt: deinde, etiam ut tanti gaudii ſolennitatem quodammodo jucundiſſimam faciant, ſumptuoſas deliciarum copias ſibi ad convivium parant. Erat verò tunc hiems, quæ non ſolùm viciſſitudini temporum, ſed frigidis quóque eorum mentibus aptiſſimè congruebat. Unus autem ex eis,

qui

qui in beatissimum Christi famulum sævior fuerat, mel aquirere, unde mulsum epulantibus faceret, satagebat. Cúmque Sapin fluvium hoc studiô transmearet, subitò de ponte dejicitur, & fluviali voragine funditus absorbente raptatus, extinguitur. Justo videlicèt Dei judicio, ut turbida illum aqua satiaret ad mortem; quia in eo, quòd fiere debuerat, mellis dulcedinem ad vitæ concupierat voluptatem. Nocte verò dum omnes ex more quiescerent, descendente crebrâ nivium multitudine repentè tota communis ædificii super eos fabrica corruit, & alteri caput, alii brachia, alii crura, vel quælibet alia membra contrivit. Uni etiam eorum oculus evulsus erat, & meritò divisionem corporeæ lucis pertulit, qui divisus à proximo, etiamsi alterum haberet, geminæ charitatis unum lumen amisit.



19.



Viso: tot monachis frustra impendiſse labores
optat, montivagis antra relicta feris,
optat, et ecce tenet lætam Romualdus eremum
otia dilectæ iam Sacra pacis agens,
ast rursùm hæc turbat, claſsensis Gloria gentis, S. Apollinaris
visa ei, et ut repetat, claustra relicta jubet.

CAPUT XIX.

De jussione sancti Apollinaris ad sanctum Romualdum.

VIsô tot Monachis frustrà impendisse labores
Optat montivagis antra relicta feris.
Optat, & eccè tenet lætam Romualdus Eremum,
Otia dilectæ jàm sacra pacis agens.
Ast rursùm hæc turbat Classensis gloria gentis *
Visa ei, & ut repetat, claustra relicta jubet.

* *S. Apollinaris.*

ALiquando autem Vir sanctus non longè mansit à Catria. Cúmque ibi aliquandiu moraretur, manifestè sibi beatus Apollinaris apparuit, & quatenùs ad suum Monasterium pergeret, ibique potiùs habitaret, ex magna auctoritate præcepit. Quod Vir sanctus nequaquam negligendum ducens, locum, in quo morabatur, sine cunctatione deseruit, & quo missus fuerat, impiger festinavit.



CA-

20



Sanctus Origarium /: locus ē foetore palustri
plenus non homini sed domus apta feris :/.
Incolit, atquè arcto sua carcere membra recludit
ut sic liberiùs mens super astra volet,
Illic quæ fuerit feritas eiꝰ forma docebat,
non hominis, Spectri verior illa fuit.

CAPUT XX.

De habitatione ejus in Origario.

SAnctus Origarium (locus eſt fœtore paluſtri
Plenus, non homini ſed domus apta feris)
Incolit, átque arcto ſua carcere membra recludit,
Ut ſic liberiùs mens ſuper aſtra volet.
Illic, quæ fuerit feritas eì? forma docebat
Non hominis, Spectri verior illa fuit.

INcluſus eſt etiam quodam tempore Vir venerabilis in palude Cammaclenſi, quæ dicitur Origarium; unde poſtmodùm præ nimio paluſtris cœni fœtore, & corrupto aëre, ita totus tumefactus, & depilatus exiit, ut nequaquam eadem, quæ incluſa fuerat, ſpecies videretur; Nam & caro ejus tota eatenùs erat viridis, ut vix Stellioni diſcolor appareret.



CA-

21.



dum quondam Sancti Stygio fors hoste Parentis
venerat ignivoro cella cremanda Deo:
non tunc Sollicitat, qui Sit Salvanda Supellex
non extinquendæ currit, et haurit aquas
ast ut aquam ille preces citò fundit Numinis ante
conspectum, et Subitò flamma fugata fuit.

CAPUT XXI.

De Cella incenſa, & per orationem extincta.

DUm quondam Sancti ſtygio ſors hoſte Parentis
Venerat ignivoro cella cremanda Deo:
Non tunc ſollicitat, qûi ſit ſalvanda ſupellex,
Non extinguendæ currit, & haurit aquas.
Aſt ùt aquam ille preces citò fundit Numinis ante
Conſpectum, & ſubitò flamma fugata fuit.

ALio quóque tempore in Inſula, quæ Pereum dicitur, habitavit: quæ videlicèt Inſula à Ravenna Urbe duodecim ferè millibus diſtat. Ibi verò dum in cella cum quodam venerabili Viro, ſuo nimirum Diſcipulo, Guilielmo nomine moraretur, anguſti parietes habitaculi repente flamma corripuit, deinde ad alta conſcendens, dominari per tecta liberis jam viribus cœpit. Protinùs Vir ſanctus ad ſolitæ defenſionis argumenta confugiens, non quæ ibi erant repoſita foras extrahere, non, ut mos eſt, tecti ſcindulos diſſipare, non aquarum abundantiam ſpargere, non ullis impulſus eſt ad extinguendos ignes niſibus anhelare, ſed ſolummodò orationem fudit, & confeſtim ſtridentes ignium globos Divina virtus extinxit.

22.



Sole cadente Otto Sancti penetrabat eremum,
Cuius in amplexus plenus amore ruit.
adventûs causam tibi Vir venerande revelo:
Abbas Classensis, tu Pater /: inquit:/ eris.
at negat hoC SanCtVs, reX Instat, DenIqVe VICtVs
offert se taLI VeLLe præesse IVgo.

CAPUT XXII.

De Rege hoſpite S. Romualdi, & quia Abbatiam ſuſcepit.

SOle cadente Otto Sancti penetrabat Eremum,
Cujus in amplexus plenus amore ruit.
Adventus cauſam tibi Vir venerande revelo:
Abbas Claſſenſis, tu Pater (inquit) eris.
At negat hoC sanCtVs, reX Inſtat, DenIqVe VICtVs
offert ſe taLI VeLLe præeſſe IVgo.

EOdem verò tempore junior Otto Imperator Claſſenſis Abbatiam ordinare deſiderans, optionem fratribus dedit, ut, quem ipſi vellent, indubitantèr eligerent. At illi continuò unanimiter expetunt Romualdum. Imperator aut diffidens Beatum Virum ad regiam aulam revocari poſſe per nuncium, ire ad eum per ſemetipſum voluit, & ad cellam ejus, ſole jam occidente, pervenit. Cui Romualdus, quia magnum hoſpitem in parva domo ſuſceperat, lectulum ſuum ad quieſcendum dare dignatus eſt. Coopertorium tamen Rex noluit, quia aſperrimum judicavit. Manè autem facto, Rex eum ſuum ad Palatium duxit, tandémque ſibi inſtare, ut Abbatiam ſuſciperet, multis precibus cœpit. Qui cum reluctaretur & regiæ petitioni aſſenſum penitùs denegaret, Rex autem, è contrario ex-

communicationem, & anathema ab omnibus Episcopis, & Archiepiscopis, & toto synodali Concilio minaretur, tandem imminente necessitate succubuit, & animarum Regimen coactus accepit. Referebat tunc hoc sibi neqnaquam videri novum, sed ante quinquennium sibi fuisse divinitùs revelatum. Regebat itáque Monachos sub districta regulæ disciplina, néque alicui ab ea declinare impunè licebat, non deníque nobilis, non litteris eruditus, per actus illicitos in dextram, levámque partem deflectere, vel à recta conversationis audebat rectitudine deviare. Vir deníque sanctus cordis oculos in cœlum figens, ut Deo in omnibus obtemperaret, non timebat hominibus displicere, hoc autem fratres considerantes semetipsos priùs accusant, quia hunc sibi præesse poposcerant: deinde multis eum detractionum susurrationibus lacerant, & duris scandalorum aculeis vexant.



CA-



de Sibi commissis profectum Pastor anhelās
dum videt acta nihil, verba juvare nihil;
intrepidus, quales susceperat antè coactus,
nunc Regi propriâ spontè resignat oves.
post hæc Tyburtes ejus sermone rebelles
inter, et Ottonem bella remota leges.

CAPUT XXIII.

De Abbatia dimissa: & pace inter Regem & Tiburtes facta.

DE sibi commissis profectum Pastor anhelans
Dum videt acta nihil, verba juvare nihil;
Intrepidus, quales susceperat antè coactus
Nunc Regi propriâ spontè resignat oves.
Post hæc Tyburtes ejus sermone rebelles
Inter & Ottonem bella remota leges.

ROmualdus itáque videns; & suam perfectionem aliquatenùs minui, & illorum mores procliviùs in deteriora converti, Regem impiger adiit, & eo non levitèr reluctante, unà cum Archiepiscopo Ravennate, in utriúsque conspectu virgam projecit, & Monasterium dimisit. Porrò autem Rex Tiburtinam tunc Civitatem obsidebat. Cives enim inclytum ejus Ducem, Mazolinum nomine, interfecerant, ipsum quóque Regem correptis armis à suis mœnibus exturbârant. Unde non dubium est, Beatum Romualdum illuc ex Divina Providentia missum, qui imminens tot animarum periculum sequestra pace delevit. Hoc ete-

nim inter eos pactus est, ut Tiburtes ad honorem Regis murorum partem diruerent, obsides darent. Ducis verò interfectorem ad ejus matrem catenatum dirrigerent. Quæ sancti Viri fusis ad Deum precibûs, mitigata, crudelitèr offensa, & crimen indulsit, & incolumem ad propria redire permisit.



24.



Quam nequÿt pacem reperire Venerius unquam
in Claustro, hæc inter lustra reperta sibi est;
hunc /: quia clam liquit Claustrum :/ Romualdꝯ adibat,
Abbatis veniam, commonet, ille petat,
fecit, ùt est monitus, compos hinc siccè petiti
frondea lætè iterum tecla relicta subit.

CAPUT XXIV.
De Sancto Venerio.

QUam nequiit pacem reperire Venerius unquam
In Claustro, hæc inter lustra reperta sibi est,
Hunc(quia clam liquitClaustrum)Romualdus adibat,
Abbatis veniam, commonet, ille petat.
Fecit, ut est monitus, compos hinc siccè petiti
Frondea lætè iterum tecta relicta subit.

FEcit quóque Venerabilis Vir apud Tibur alium boni operis fructum, quem silentiô prætereundum esse non arbitror. Quidam námque beatus Vir, Venerius nomine, habitare primitùs in Monasterio cœpit, cnm tanta humilitate & simplicitate, ut omnes illum fratres subsannando despicerent, & delirum eum, átque dementem esse putarent. Alii námque illum sæpè colaphizare, alii sordida, qua lebetes lavabantur, aquâ perfundere, alii diversis illum solebant conviciorum jurgiis lacerare. Cúmque ille se perpenderet inter tot adversa tranquillum suæ mentis statum servare non posse, consortium deserens, in solitudinem fugiens properavit. Ubi per sex annos ábsque vino, omníque pulmento sub nimiæ districtionis ariditate permansit: Hunc itáque Romualdus, auditâ ejus famâ, visitare curavit. Quem interrogans,

ſub cujus regimine degeret, cujusvè arbitrio ſuæ converſationis obedientiam exhiberet? reſpondit: ſe alieno ſolutum imperiô, hoc ſequi, quod ſibi utiliùs videretur. Cui Romualdus ait: *Si Crucem Chriſti portas, ſupereſt ut Chriſti obedientiam non relinquas; Vade igitur, & conſenſu à proprio Abbate ſuſcepto, revertere, & ſub ejus Dominio humilitèr vive; quatenus ſacri operis ædificium, quod bona voluntas ædificat, humilitas erigit, obedientiæ virtus extollat.* Hæc, & multa, alia ædificationis monita proferens, docuit eum, qualitèr cogitationibus ſuis reſiſtere, qualitèr poſſet iniquorum ſpirituum infeſtationibus, repugnare, & ita confirmatum & inſtructum in multa eum alacritate reliquit. Ille igitur ſancti Viri documenta gratantèr amplectens, Abbatem ſuum protinùs adiit, conſenſum accepit, & ad dilectam ſolitudinem quantocyùs remeavit. Volens autem in poſſeſſione ſui Monaſterii habitare, aſcendit in quoddam ſaxum nullis hominum veſtigiis pervium, & ab humana penitùs converſatione remotum, ibique per quatuor annos omni humano ſolatiô deſtitutus ſingularitèr habitans, exceptis tribus buccellîs, quas de Monaſterio ſecum detulerat, non panem commedit, non vinum bibit, non coctum aliquid omninò guſtavit, ſed ſolùm arborum pomis & herbarum radicibus vixit.

Erat

Erat autem in eodem ſaxo quædam Concavitas, ubi colligebatur aqua in hieme, ex qua Vir ſanctus tota bibebat æſtate. Tandem verò cognito, quod ibi Servus Dei moraretur, cœperunt ad eum multi confluere, ciborum alimenta deferre, & quæcúnque ſibi quaſi neceſſaria miniſtrare, quorum ille nullius indigens cuncta paſtoribus pecorum, & aliis indigentibus exhibebat. Exhortante autem loci Epiſcopo Baſilicam ibi fieri & conſecrari permiſit, in qua ipſe aliquanto poſt tempore defunctus eſt, & à quibusdam ſe quærentibus inventus eſt acclinis ante Altare quaſi causâ orationis in cubitis & genibus jacens. Ubi nonnulla per eum Dominus miraculorum ſigna operari dignatus eſt. Sic deníque, ſic bona terra uberes fructus reddidit, quæ verbi ſemen ex ore Romualdi multiplicatum ſuſcepit.



25.



Causa Tamus fuerat Crescentÿ mortis, et eius,
quod Rex non timuit, contemerare thorum,
hinc Romualdus huic iniungit culmina montis
Gargani nudos ire, redire pedes
atqVe IstI VetVIt saeCLI ConsortIa toto
VItae DeCVrsV: feCIt VterqVe satIs.

CAPUT XXV.
De Tamo & Religione Regis Ottonis.

CAusa Tamus fuerat Crescentiî mortis, & ejus,
Quod Rex non timuit contemerare thorum.
Hinc Romualdus huic injungit culmina montis
Gargáni nudos ire, redire pedes.
AtqVe IstI VetVIt sæCLI ConsortIa toto
VItæ DeCVrsV: feCIt VterqVe satIs.

APud prædictam quóque Civitatem convertit beatissimus Vir (Romualdus) Tamum quemdam teutonicum, qui, sicut dicitur, in tantum Regi familiaris & charus extiterat, ut utriúsque vestes utrúmque contegerent, & amborum manus una paropsis communi sæpè convivio sociaret. Crescentius námque Senator Romanus indignationem Regis incurrens, in montem, qui dicitur sancti Angeli confugium petiit, & quia munitio inexpugnabilis est. Obsidente Rege ad defendendum se fiducialitèr præparavit. Cui Tamus ex præcepto Regis jusjurandum securitatis præstitit, & ita ille deceptus adnitente Papa, qui sibi inimicus erat, quasi reus Majestatis capitalem sententiam subiit. Cujus uxorem postea Imperator in Concubinam accepit. Quia igitur Tamus fraudis conscius & perjurio

tenebatur obnoxius; idcirco à B. Romualdo juſſus eſt relinquere ſæculum, qui mox à Rege licentiam expetens non modo facilem reperit, ſed nimiùm etiam alacrem fecit. Erat enim prædictus Imperator monaſtico ordini valde benevolus, & nimia circa Dei famulos affectione devotus.

Ipſe autem Rex ex eodem crimine beato Viro confeſſus pœnitentiæ causâ nudis pedibus de Romana urbe progrediens, ſic úſque in Garganum montem ad S. Michaëlis perrexit Eccleſiam. Per totam etiam Quadrageſimam in Claſſenſi Monaſterio B. Apollinaris paucis ſibi adhærentibus manſit. Ubi jejunio & Pſalmodiæ prout valebat intentus, cilicio ad carnem indutus aurata deſuper purpurâ tegebatur, lecto etiam fulgentibus palliis ſtrato, ipſe in ſtorea de papiriis confecta, tenera delicati corporis membra terrebat. Promiſit itáque beato Romualdo, quòd imperium relinquens Monachicum ſuſciperet habitum, & cui innumeri mortales erant obnoxii, jam ipſe pauperculo ſubjectus cœpit eſſe debitor ſui.



CA-



Bonĩfacius, Tamus, et socij Duce Patre Casini
Visunt in montis Vertice coenobium;
hinc Pereum tendunt: ibi quæ tunc Vita sit acta
aspera? Sylva, feræ, conscia Saxa dabunt:
/: Contigit hâcce viâ cunctis memorabile factum :/
nam pro vili asino dat Romualdus equum.

CAPUT XXVI.

Quòd S. Romualdus apud Casinum ægrotavit, deinde ad Pereum venit.

Bonifacius, Tamus, & Socii Duce Patre Casini,
Visunt in montis vertice Cœnobium.
Hinc Pereum tendunt : ibi quæ tunc vita sit acta
Aspera ? Sylva, feræ, conscia Saxa dabunt.
(Contigit hacce viâ cunctis memorabile factum)
Nam pro vili asino dat Romualdus equum.

Romualdus igitur cum eo, quem prædiximus Tamo, & cum Bonifacio Viro clarissimo, quem nunc gloriosissimum Martyrem se habere Russiana gloriatur Ecclesia, & cum aliis conversis Teutonibus à Tiburis oppido ad Monasterium sancti Benedicti, quod in Cassino constitutum est, monte devenit, ibi nempè gravitèr infirmatus est, sed citò ex Divina misericordia convaluit. Habebat autem equum satis egregium, quem sibi Busclavi Sclavonici Regis filius dederat, factus ab eo Monachus. Hunc Vir sanctus humilitatis studiô permutavit, & lucruso concambio asinum laudabilis negotiator accepit, nimiô quippè Redemptoris nostri desideriô, qui asellæ tergo consederat, Vir venerabilis hoc ipsum animal libentiùs equitabat. Cùm his igitur

igitur omnibus ſuperiùs nominatis Romualdus ad Pereum, ubi dudum habitaverat, rediit, ibique denique his & aliis multis fratribus aggregatis, & per cellas ſingulas conſtitutis tanto fervore eremiticæ converſationis rigorem, & in ſe, & in aliis tenuit; ut illorum vita omnibus, ad quos fama eorundem pervenire poterat, mirabilis haberetur. Quis enim non obſtupeſceret? quis non immutationem divinæ Dexteræ prædicaret, cum vidiſſet priùs homines ſericis, imò deauratis veſtibus indutos, crebris obſequentium cuneis obconſtipatos omnium deliciarum affluentiis aſſuetos, nunc eos cerneret uno birro contentos, incluſos, diſcalceatos, incultos, & tanta abſtinentiæ ariditate contritos? faciebant autem omnes opera manuum, alii ſcilicèt coclearia, alii nebant, alii retia nectebant, alii cilicia.



CA-



Bônfacius cupiens pro Christi Nomine mortem
obtentâ venia in balthica regna venit,
en! Regi sacra Verba facit, non læsus et ignem
permeat, ergo Sacro Rex petit amne lui.
ILLIVs at frater qVItVr ferIt ense beatI
DVro, aC est sVbIto CaptVs VtroqVe oCVLo.

CAPUT XXVII.
De ſancto Bonifacio.

BOnifacius cupiens pro Chriſti nomine mortem
Obtentâ veniâ in Balthica Regna venit.
En ! Regi ſacra verba facit, non læſus & ignem
Permeat, ergò Sacro Rex petit amne lui.
ILLIVs at frater gVttVr, ferIt enſe beatI,
DVro, aC eſt sVbItò CaptVs VtróqVe oCVLo.

QUorum tamen omnium vitam B. Bonifacii converſatio longiùs transſcendebat. Hic deníque Regis fuerat Conſanguineus, & ita charus, ut Rex illum non alio vocaret nomine, niſi *Anima mea.* Erat autem apprimè liberalium artium doctrinis inſtructus, maximéque in modulationis muſicæ, ſtudiis approbatus. Hic itáque cum in Capella Regia moraretur, videns Eccleſiam antiqui Martyris Bonifacii mox exemplò ſui æquivoci ad Martyrii deſiderium provocatus, ait: *Et ego Bonifacius vocor, cur ergò etiam ipſe Chriſti Martyr eſſe non debeo?* deinde quóque jam monachus factus, tanta ſe abſtinentiæ frugalitate conſtrinxit, ut ſæpè dominicis diebus, & quinta tantum feria per hebdomadam manducaret. Non nunquam verò, ſi urticarum vel etiam veprium cerneret denſitatem illuc ſe projiciens volutabat. Ex quo, cum quidam frater aliquan-

quando eum corriperet dicens : *Hypocrita! quare hoc ad captandos popularis auræ rumores coram omnibus facis?* nihil aliud respondit quàm : *Tui sint Confessores, mei sint Martyres.* Cum verò post diuturnam eremiticæ conversationis vitam ad prædicandum jam ire disponeret, Romam primitùs pergere studuit, & ab Apostolica Sede consecrationem Archi-Episcopatûs accepit. Retulit mihi quidam senex Monachus, qui illum illuc comitatus de Ravennæ finibus fuerat, quia in toto illo itinere Vir venerabilis cum omnibus quidem, qui eum sequebantur, pedester ibat, sed ipse jugitèr psallens, & cæteros longè præcedens nudis semper pedibus incedebat. Pro labore quidem itineris quotidie comedebat, sed per singulos dies de medio pane & aqua vivens in diebus festis, ignoto scilicèt liquamine quotidiano victui poma quælibet vel herbarum radices addebat.

Postquam autem consecratus est, quotidie observabat & monasticum paritèr & canonicum in celebrandis horarum Officiis ordinem. Cum verò jam ultra montanos peteret fines, equô quidem vehebatur, sed venerabilis Pontifex, sicuti dicitur nudis cruribus semper & plantis adeò intollerabilem frigidissimæ Regionis tolerabat algorem, ut volens descendere vix pedem à

sub-

ſubhærente ferro disjungeret, niſi aquæ priùs calida ſubveniret. Ad gentiles autem poſtremò perveniens, cum tanta cæpit fervidi pectoris conſtantia prædicare, ut jam nullus ambigeret: Quia Vir Sanctus Martyrium flagitaret. Illi verò timentes, nè ſicut poſt Martyrium beati Adalberti coruſcantibus miraculorum ſignis Sclavonicæ gentis plerique converſi ſunt, ipſis quóque ſimiliter eveniret, longo tempore à beato Viro manus artificioſa malitiâ reprimunt, & cupidiſſimo mori nolentes eum occidere crudelitèr parcunt. Cúmque ad Regem Ruſſorum Vir venerabilis perveniſſet, & conſtanti animo prædicationi vehementèr inſiſteret, videns eum Rex ſqualidis veſtimentis indutum, nudis pedibus incedentem, opinatus eſt, quia Vir ſanctus talia non Religionis causâ proferret, ſed idcircò potiùs, ut pecunias congregaret; promiſit ergò ſibi, quia ſi ab hujusmodi vanitate recederet, ipſe paupertatem ejus largiſſima divitiarum liberalitate ditaret. Bonifacius itáque mox ad hoſpitium ſine mora revertitur, pretioſiſſimis Pontificalibus ornamentis decentèr induitur, & ſic ad Regis Palatium denuò præſentatur; Rex autem videns eum tam decoris veſtibus adornatum, ait: *Nunc ſcimus, quia te ad vanam doctrinam non paupertatis inopia, ſed veritatis impulit*

pulit ignorantia. Verùmtamen ſi vis vera credi, quæ aſſeris, erigantur duæ excelſæ lignorum Cataſtæ, breviſſima à ſe interſtitio ſeparatæ, & igne ſuppoſito, cum vaporatæ fuerint, ita ut utriúsque ſtruis unus ignis eſſe videatur, tu tranſi per medium, quòd ſi læſus ex aliqua parte fueris, ipſis te penitùs conſummendum ignibus trademus: Sin autem (quod credi non poteſt) ſanus evaſeris, omnes nos Deo tuo ábsque ulla difficultate credemus. Cúmque hoc fœdus non ſolùm Bonifacio, ſed & cunctis, quæ aderant, gentibus placuiſſet; Bonifacius ita veſtitus velut Miſſarum Solemnia celebraturus, priùs cum ſanctificata aqua & incenſo thure undíque perluſtrans ignem, deinde ſtridentes flammarum globos ingreſſus, ita exivit illæſus, ut nec minimus capitis ejus capillus videretur exuſtus. Tunc Rex & cæteri, qui huic ſpectaculo interfuerant, catervatim ſe ad pedes beati Viri projiciunt, indulgentiam lachrimabilitèr petunt, & baptizari ſe inſtantiſſimè ſupplicant.

Cœpit itáque tanta gentium multitudo ad Baptiſma confluere, ut Vir ſanctus ad ſpatioſum quemdam lacum pergeret, & in ipſa aquarum abundantia populum baptizaret. Decrevit autem Rex, ut Regnum relinquens filio, ipſe quamdiu viveret, ſe à Bonifacio nullatenùs ſepararet. Frater autem Regis cum ipſo paritèr habitans, dum nollet credere, abſente Bonifacio ab

ipſo Rege peremptus eſt. Alius verò frater, qui jam à Regis erat cohabitatione diviſus, mox ad eum venerabilis Vir venit, audire ejus verba noluit, ſed de converſione fratris nimiâ adversùs eum irâ ſuccenſus, continuò illum comprehendit, deinde timens, nè ſi vivũ teneret, Rex eum de manibus eriperet, in ſua præſentia circumſtante non parva hominum multitudine decollari præcepit. Statim verò & ipſe cœcatus eſt, & tantus eum cum omnibus, qui adſtabant, ſtupor oppreſſit, ut nec ſentire, nec aliquod humanitatis officium agere aliquatenus poſſent; ſed cuncti velut lapides rigidi & immobiles permanerent. Rex autem hoc audiens, nimio dolore percuſſus omninò deliberat, non ſolùm fratrem, ſed & cunctos, qui ſibi tanti reatûs fautores extiterant, gladiis trucidari. Sed cum illuc protinus adveniſſet, & corpore Martyris in medio poſito fratrem ſimul cum reliquis hominibus ſenſibus & motu orbos ſtupefactos adſtare conſpiceret, hoc ſibi cum ſuis omnibus placuit, ut priùs pro eis oratio fieret, ſi forſitan illis Divina miſericordia ſenſum, quem amiſerant, reformarent: deinde ſi aquieſcerent credere, indulto crimine viverent, ſin autem, omnes ultoribus gladiis interirent. Cum igitur & ab ipſo Rege & à cæteris Chriſtianis diutiùs fuiſſet ora-

tum, non solùm prior sensus stupefactis hominibus redditur; sed insuper consilium quóque flagitandæ veræ salutis augetur. Nam continuò pœnitentiam sui criminis flebitèr expetunt, baptismi Sacramenta cum magna alacritate suscipiunt, super corpus quóque beati Martyris Ecclesiem construunt.

Verúmtamen ego, si de hoc mirabili Viro cuncta, quæ dici veraciter possunt, virtutum dona referre tentarem, deficeret forsitan lingua, non deficiente materia.

Dum igitur Bonifacii virtus proprio indigeat stylo, idcircò tamen illum cum aliis Romualdi discipulis summotenùs hìc memorare curamus, ut ex eorum laude, quam magnus Vir, gloriosus Magister eorum fuerit, demonstremus; quatenus dum celsitudo clientum auribus fidelium insonat, quàm excelsus Doctor eorum fuerit, ex Schola, quam tenuit, innotescat.



CA-



Salvificæ fidei Busclavus motus amore
poscit, Apostolicos mitteret Otto viros:
præ reliquis hic ei Romualdi legit alumnos,
ex queîs Joannes et Benedictus abit.
IJsCe In sILVâ aCtIs SeptenIs DVrIVs annIs
pro sVperIs saCer est sparsVs VtrIqVe CrVor.

CAPUT XXVIII.
De ſanctis Joañe & Benedicto Martyribus.

SAlvificæ fidei Buſclavus motus amore,
Poſcit Apoſtolicos mitteret Otto Viros:
Præ reliquis hic ei Romualdi legit alumnos,
Ex quêis Joannes & Benedictus abit.
HIsCe In sILVâ aCtIs ſeptenIs DVrIVs annIs
Pro sVperIs saCer eſt ſparsVs VtrIqVè CrVor.

INtereà Romualdo in Pereo adhuc habitante Busclavus Rex preces Imperatori direxit, ut ſibi ſpirituales Viros mitteret, qui Regni ſui gentem ad fidem vocarent. Mox Romualdum Imperator aggreditur, & concedi ſibi de ſuis Monachis, qui illuc deſtinari utilitèr valeant, deprecatur. Ille verò nulli ſuorum hoc præcipere velut ex prælationis authoritate voluit, ſed in eorum voto ponens ſive manendi ſive abeundi, eis optionem dedit. Ignorabat enim ex tam metuendo negotio voluntatem Dei, & ideò non illud ſuo, ſed fratrum potiùs arbitrio comittebat. Interrogante igitur eos, & humilitèr obſecrante, tandem duo ſolummodò ſunt ex omnibus inventi, qui ſe ultrò ad eundem promptos offerunt. Quorum unus Joannes, Benedictus alter vocabatur; Hi itáque ad Buſclavum euntes, in eremo

priùs, eo ſuſtentante manere cæperunt, & ut prædicare poſtmodum poſſent, Sclavonicam linguam laboriosè diſcere ſtuduerunt. Septimo verò anno, cum jam loquellam terræ plenè cognoſcerent, unum ad Romanam Urbem Monachum mittunt, & per eum à Summæ Sedis Antiſtite prædicandi licentiam petunt. Injungunt etiam ut nuncius ille aliquos ſecum de B. Romualdi fratribus duceret, qui eremiticæ converſationis edocti, cum eis ſimul in Sclavorum partibus habitarent.

Buſclavus autem volens, coronam ſui Regni ex Romana auctoritate ſuſcipere, prædictos venerabiles Viros obnixa cœpit ſupplicatione depoſcere, ut ipſi plurima ejus dona Papæ deferrent, & coronam ſibi à Sede Apoſtolica reportarent. Qui Regiæ petitioni aſſenſum penitùs denegantes, dixerunt: *Nos in ſacro ordine poſiti ſumus, tractare nobis ſæcularia negotia minimè licet*: Et ita relinquentes Regem, ad cellam reverſi ſunt. Quidam verò Regis agnoſcentes conſilium, ſed quid Sancti Viri reſponderint, ignorantes copioſi auri pondus, quod mittendum Apoſtolico fuerat, ſecum eos detuliſſe ad cellulam opinati ſunt. Deinde intra ſe conventione, pacta condicunt, ut noctu eremum latentèr ingreſſi, & Monachos interficerent, & pecuniam aſportarent. Quos

cum

cum beati Viri tentantes irrumpere perſenſiſſent, adventus eorum cauſam protinùs agnoſcentes, confeſſionem inter ſe facere, & ſanctæ crucis ſe cœpêre vexillo munire. Erant autem ibi duo pueri eorum obſequio ex aula regia deputati, qui prout vires dabant, ſtare pro Sanctis & furibus reſiſtere niſi ſunt. Fures verò reperto tandem aditu irruentes extractis gladiis, omnes paritèr occiderunt. Tunc theſaurum anxiè perquirentes, ſed everſis omnibus nihil invenientes, ut tanti reatus crimen obtegerent, & humana Suſpicio non armis, ſed flammis potiùs, quod factum fuerat, deputaret, cellam incendere, & ipſa conati ſunt Martyrum cadavera conflagrare. Sed admoti ignes, amiſſis naturæ viribus, nil omninò conſumere ullis hominum ſtudiis potuêre. Ita enim eos ipſa etiam parietum materies repellebat, ac ſi pro lignis duriſſimi ſilices eſſent. Fruſtrati itáque fures in fugam ſe conferre nituntur, ſed & hoc illis ex Divina providentia denegatur. Tota ſiquidem nocte per fruteta nemorum, per latitudinem ſaltuum, per opaca ſylvarum viam anxiati ſunt quærere, quam tamen nullatenus valuêre errabundis veſtigiis invenire. Sed néque pugiones in vaginas recondere arefactis brachiis potuerunt. Ubi verò Sanctorum jacebant cor-

pora copiosum lumen úsque in diem splendescere, & dulcissima Angelicæ Cantilenæ non desiit suavitas resonare.

Adveniente autem die, quod factum fuerat, Regem latere non potuit. Qui illico ad eremum cum numerosa populi multitudine festinavit, & nè fures evaderent facta coronâ hominum totam sylvam undíque circumcinxit: qui tandem reperti sunt manifesti criminis rei, & ad gladios suos adhuc Divina ex ultione ligati. Rex autem quid de eis faceret, habita consideratione deliberans, hoc postremò decrevit, ut nequaquam eos, sicut merebantur, occidi præciperet, sed ferreis catenis vinctos ad sepulchra Martyrum destinaret, quatenus aut ibi úsque ad obitum in vinculis miserabilitèr viverent, aut si sanctis Martyribus alitèr videretur, ipsi eos sua misericordia liberarent. Qui cum ad Sanctorum tumulum fuissent ex præcepto Regis attracti, mox ineffabili Divinitatis omnipotentia fractis sunt nexibus absoluti. Deinde facta super corpora Sanctorum Basilicâ, innumerabilia non solùm tunc, sed & nunc ibi fiunt ex Divina virtute prodigia.



CA-

29.



Imperij qui tunc /: Henricus :/ Sceptra tenebat,
commotus lævâ suspicione fuit:
fratrem à Martyribus legatum nuper in urbe
carcere præcludit, non sinit ire vias,
Cœles nocte necem at legantûm, et carcere aperto
demonstrat navem, ut quò volet, ire queat.

CAPUT XXIX.

De Monacho per Angelum de carcere liberato.

IMperii, qui tunc (Henricus) Sceptra tenebat,
Commotus lævâ ſuſpicione fuit.
Fratrem à Martyribus legatum nuper in Urbem,
Carcere præcludit, non ſinit ire vias.
Cœles nocte necem at legantûm, & carcere aperto
Demonſtrat navem, ut quò volet, ire queat.

IMperator autem Henricus Buſclavi conſilium non ignorans, undíque vias cuſtodiri præceperat, ut ſi Buſclavus Romam nuncios mitteret, in ejus illicò manibus devenirent. Monachus ergò, qui nuper miſſus à ſanctis Martyribus fuerat, demùm captus eſt, & mox carcerali cuſtodiæ mancipatus. Nocte verò illum Angelus Domini in carcere viſitavit, & conſummatos eſſe eos, quorum legatione fungebatur, admonuit: ſtatímque aperto divinitùs carcere, præparatum ſibi eſſe navigium in fluvio, quem tranſiturus erat, aſſeruit. Quo feſtinans Monachus Angelicæ promiſſionis fidem veram eſſe probavit.



30.



Liquit Adelberti claustrum sibi fortè rebelle,
attria et Ottonis pòst Romualdus adit:
illum facta Deo se temptô reddere vota
urget, at in tempus crastinat Otto fidem.
Is repLICans InqVIt: propè neX est: VerbaqVe SanCtI
eCCe eVentVs eI Vera fVIsse Dabat.

CAPUT XXX.

De Monasterio sancti Adelberti constructo, & Prophetia sancti Romualdi adversùs Regem prolata.

Liquit Adelberti Claustrum sibi fortè rebelle,
Atria & Ottonis pòst Romualdus adit.
Illum facta Deo se temptô reddere vota
Urget, at in tempus crastinat Otto fidem.
Is repLICans InqVIt: prope neX est: VerbáqVe sanCtI
eCCe eVentVs eI Vera fVIsse Dabat.

DUm moraretur autem Romualdus adhuc in Pereo, Imperator Otto Monasterium ibi ad honorem sancti Adelberti eo suggerente construxit, cui contigua Classensis cœnobii prædia contulit, & ea sibi ex fiscali possessione in Firmensis Monarchiæ partibus recompensavit. Abbate ergò illic ex Romualdi Discipulis constituto, & fratribus aggregatis, cœpit eos Romualdus sub magna tenere custodia, & docebat eos sub regulari vivere Disciplina. Præcepit etiam Abbati, ut in eremum secedens, per totam hebdomadam in cella consisteret: Diebus verò Dominicis fratres ad Monasterium veniens, visitaret. Qui sancti Viri jussa contemnens, cœpit sæcularitèr vivere, & pede operis semel exorbitan-

bitante à rectitudinis tramite, jam longiùs declinare. Videns ergò Romualdus, quòd ſecundùm ſuæ voluntatis ardorem ibi laborare non poſſet, Regem protinus adiit, & acceptæ promiſſionis exactor, ut Rex Monachus fieret, inſiſtere vehementer cœpit. At ille facturum ſe quidem, quod exigebatur, aſſeruit, ſi tamen priùs Romam, quæ ſibi rebellabat, impeteret: & ea devictâ, Ravennam cum victoria remearet. Cui Romualdus: *Si Romam* inquit, *iêris, Ravennam ulteriùs non videbis*: Et apertiſſimè illi mortem propinguam eſſe denuncians, quia cum revocare non potuit, proculdubio de ejus certus interitu, dum Rex Romam properat, Romualdus navem aſcendens, ad Civitatem Parentium transfretat. Rex itáque ſecundùm beati Viri prophetiam, vix à Roma reverti incipiens, mox languore correptus apud Paternum defunctus eſt.





Eccè! Parentinæ dum nota cubilia sylvæ
incolit, è coelo plurima dona capit;
ex tunc immensos deduount lumina rivos,
extunc arcana is coelica mente videt,
ex tunc innumerâ sic percutit æthera voce:
o Iesu! O mea Spes! lux, amor, omne meum!

CAPUT XXXI.

Ubi gratia perfectionis ſancto ROMUALDO divinitùs eſt conceſſa.

ECce! Parentinæ dum nota cubilia ſylvæ
Incolit, è cœlo plurima dona capit.
Ex tunc immenſos deducunt lumina rivos,
Ex tunc arcana is cœlica mente videt.
Ex tunc innumerâ ſic percutit æthera voce:
O JESU! O mea ſpes! lux! amor! omne meum!

ROmualdus autem tribus annis in Parentinæ Civitatis finibus habitans, in uno Monaſterium conſtruxit, & Abbatem in eo cum fratribus ordinavit, in duobus verò incluſus manſit. Ibi nempe ad magnæ perfectionis cumulum pietas illum Divina provexit, ita ut ſancto afflatus Spiritu, & nonnulla ventura proſpiceret, & multa veteris ac novi Teſtamenti occulta myſteria radiis intelligentiæ penetraret. Anxiabatur autem ibi aliquando in lachrimas erumpere, ſed nullo valebat conamine ad contriti cordis compunctionem venire. Factum eſt ergò quadam die dum in cellula pſalleret, ut in hunc Pſalmi verſiculum incidiſſet: *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos,* Pſ. 31. v. 8. Repente igitur tanta ſibi

lachrimarum effusio orta est, & ità mens ejus ad intelligendas Divinæ Scripturæ sententias illustrata, ut ex eodem die, & deinceps quamdiù vixit, & quandocúnque voluisset, uberes sibi lachrimæ facillimè fluerent, & plurima illum Scripturarum mysteria non laterent. Frequentèr enim tanta illum Divinitatis contemplatio rapiebat, ut quasi totus in lachrimas resolutus, æstuante inenarrabili Divini amoris ardore clamaret: *Chare JESU chare! mel meum dulce, desiderium ineffabile, dulcedo Sanctorum, suavitas Angelorum!* & cætera hujusmodi, quæ ille sancto Spiritu dictante in jubilum proferebat, nos humano sensu exprimere talia non valemus. Sicut enim Apostolus dicit: *Nos sicut oportet, orare nescimus, sed ipse spiritus orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Rom. 8. v. 26. Et ideò Romualdus Missam celebrare coram pluribus nunquam volebat: quia se à lachrimarum inundantia continere non poterat. Unde etiam postmodùm præ nimia jam consuetudine Vir simplicis animi putans gratiam sibi divinitùs prærogatam, omnibus esse concessam, dicebat plerúmq; Discipulis: *Cavete, nè multas lachrimas effundatis, quia, & visum minuunt, & verticem lædunt.* Ubicúnque autem Vir sanctus habitare disponeret, oratorium cum altari primitùs intra cellulam faciens, deinde se recludens, aditum damnabat.

32.



non procul à Claustro Sylvâ interiore morantem
Anson convenit coenobiarcha Patrem;
dum Sacrum miscent discursum, frater! ad horam
turba/: ait :/ expectat te peregrina, redi:
audiit ille quidem, sed vatem ridet inanem
Patrem, ast vera videns vociferaße, dolet.

CAPUT XXXII.

De prophetia ſancti Romualdi, qua Diſcipulorum prænunciavit adventum.

NOn procul à Clauſtro ſylvâ interiore morantem
Anſon convenit cœnobiarcha Patrem.
Dum ſacrum miſcent diſcurſum, frater! ad horam!
Turba (ait) expectat te peregrina, redi.
Audiit ille quidem, ſed vatam ridet inanem
Patrem, aſt vera videns vociferaſſe, dolet.

MIſerunt aliquando ad illum fratres, qui morabantur in ſolitudine, quæ Bifurcum dicitur, conſilium flagitantes, qualitèr converſari in eremo deberent, qualitèr diabolicis impugnationibus reſiſtere potuiſſent. Quorum nuncii cum ad Monaſterium, à quo Romualdi cella longiùs aberat, perveniſſent, illicò venerabilis Vir per Spiritum eorum cognovit adventum, præcepitque Abbati Anſoni, qui ſibi tunc aſſiſtebat, dicens: *Vade, & pulmentum fratribus præpara, qui de longinquis partibus advenerunt!* Qui continuò cœpit eum deridere, & dicere: quia verè falſus Propheta eſſet.

ſet. Poſtremò tamen velut coactus ad Monaſterium veniens, eos, quos Vir ſanctus prædixerat, orantes jam in Eccleſia reperit. Quos videlicèt Romualdus multo ſalutaris doctrinæ ſale condivit, multis denique contra antiqui hoſtis inſidias virtutum armis inſtruxit, & poſtquam eos de omnibus ſubtilitèr docuit, cum multa eos ad eremum alacritate remiſit.



33.



Patre Parentinis abituro præsul ab oris
contristatur, et hinc vult cohibere vias:
Coelitùs at doctus solatur sanctus alumnos,
venturasq; duas nuntiat esse rates.
has ubi conscendit furiosis salvat ab undis,
dum tacitè è coelo fervidus orat opem.

CAPUT XXXIII.

De reditu ejus à Parentio, & nautis ejus meritis de periculo liberatis.

PAtre Parentinis abituro præsul ab oris
Contristatur, & hinc vult cohibere vias.
Cœlitùs at doctus solatur Sanctus alumnos,
Venturásque duas nuntiat esse rates.
Has ubi conscendit furiosis salvat ab undis,
Dum tacitè è cœlo fervidus orat opem.

ALio quóque tempore rursùs prædicti fratres ad eum nuncios dirigunt, & de eadem re consilium majori adhuc anxietate requirunt. Quibus Vir venerabilis ait: *Ego nunc libellum de pugna dæmonum scribo, quem vobis, cùm redieritis, dabo, vel certè ipse vobiscum forsitan venio.* Hoc illi audientes, protinùs in faciem se prosternunt, & ut cum illis ire dignaretur, importuna admodùm supplicatione deposcunt. Altera verò die iturum se cum eis incunctantèr asseruit, & ut navim inquirerent, jussit. Audiens hoc Parentinus Episcopus nimio mœrore perculsus est. Inveniens quóque Monachos propter navigium discurrentes, multis contumeliarum eos dehonestavit injuriis. Hoc etiam cunctis juxta portum manentibus promulgavit edictum, ut quicúnque Romual-

mualdo navim dare præſumeret, ipſe quóque unà cum ipſo irrevocabili profectione demigrans, Parentium ulteriùs non rediret. Feſtinè igitur nuncius ad Polenſem Epiſcopum mittitur, ut beato Viro navigium mittere non moretur. Sæpè námque præfatus Epiſcopus adhortatus illum fuerat, ut nequaquam de cætero in tam obſcuro receſſu incluſus lateret, ſed illuc potiùs ſe conferret, ubi animarum lucrum copioſiùs facere potuiſſet, ne videlicèt ſicut carbo ſoli ſibimet arderet: ſed magis ut re vera lucerna ſuper candelabrum poſita, omnibus, qui in domo Dei ſunt, radios ſuæ lucis infunderet. Dum igitur nuncius, qui miſſus fuerat, expectaretur, Romualdus his, qui ſecum erant, fratribus ait: *Noveritis procul dubio, quia frater ille tardiùs veniet, & in illa navi nos ire priùs, quàm ille revertatur, oportet.* Adveniente autem die Dominico, in ipſo primo lucis crepuſculo dixit aſſiſtenti ſibi cuidam fratri, nomine Ingelberto, qui poſtea Archiepiſcopus in Gentibus factus eſt: *Reſpice*, inquit, *procul in pelagus, & vide duas naves longinquis adhuc ſpatiis pari adversùm nos velocitate tendentes, quarum nos definitè debet una ſuſcipere.* Qui curioſiùs intendens, & expanſis oculorum radiis ſollicitè cuncta perluſtrans, aliquod remigandi ſignum omninò videre non potuit. At cum dies jam

jám-

jámque clarefceret, eccè extremo videt intuitu duas naves eminùs adventantes, & præ nimia adhuc longinquitate, quafi totidem volucres apparentes. Quibus tandem fubeuntibus portum, interrogati remiges, utrum Romualdum cum fuis in propria vellent nave fufcipere, novâ mox repleti lætitiâ fe & fua omnia in ejus poteftate conftituunt, & beatos fe fore tam prætiofæ margaritæ pondere profitentur. Illo itáque die minas aëris formidantes ire noluerunt. Romualdus autem exhortatus eft eos, ut ftatim in fpe Divinæ gratiæ iter inciperent, fpondens eis, quia nullum omninò periculum fuftinerent. Illi tamen tota die ibidem commorantes, nocte navigare cœperunt.

Circa diluculum autem fubitò venti fæviunt, tempeftas oritur, mare ab imo fundo verfatur. Jam verò furentes undíque procellæ ipfos quòque remiges transvolant, & navim hinc inde concutientes, totas penè tabulas laxant. Videres itáque homines, alios quidem fe ad natandum exuere, alios verò diverfis fe paluftribus religare; quofdam autem, ut fupernatare fluctibus poffent, remos, aut lignum aliquod ftrictum tenere. Cúmque in tanto difcrimine non jam dubium defperatis omnibus naufragium immineret, illicò Ro-

 mual-

mualdus ad ſolita videlicèt orationis armamenta cucurrit, & reclinato paululum caputio, capite devexo in gremium, preces ſub ſilentio ad Dominum fudit: deinde Anſoni Abbati, qui cominùs aſſidebat, ſecurè præcepit, dicens: *Denuncia nautis, ut nequaquam timeant, ſed omnes ſe incolumes evaſuros ábsque ulla penitùs ambiguitate cognoſcant.* Vix modicum poſt hoc, & ecce ultra omnium ſpem ábſque ullo humano ſtudio ipſa ſe navis dirigit, & mox in portum Capreolæ civitatis delapſa, celeritèr ſubintravit. Tunc omnes Liberatori Deo dignas referunt gratias, & manifeſtè ſe de faucibus mortis ereptos Romualdi meritis profitentur.





est commune Sonans: Similis Simili Sibi, gaudet,
unde etiam noster Sic Romualdus agit,
Bifurcum veniens, dum quo Sua quemq; voluptas
alliceret, monachum promptius ire videt,
Omnigenæ Petrum virtutis flore decorum
eligit (: o fratrum nobile par :) Socium.

CAPUT XXXIV.

De adventu ſancti Romualdi in Bifurcum.

Est commune ſonans: Similis ſimili ſibi gaudet;
Unde etiam noſter ſic Romualdus agit.
Bifurcum veniens, dum quò ſua quémque voluptas
Alliceret, Monachum promptiùs ire videt.
Omnigenæ Petrum virtutis flore decorum
Eligit (ô fratrum nobile par) ſocium.

VEniens itáque Romualdus Bifurcum, viſis omnium fratrum cellis, quia ſuperſtitione quadam ambitioſæ videbantur, in nulla earum habere hoſpitium voluit, niſi in illa ſolummodò, in qua Petrus venerabilis ejus Diſcipulus habitabat: Vir ſiquidem mirabilis abſtinentiæ, multǽque admodùm extremitatis, qui cellulam ſibi ad ſancti Hilarionis exemplum, vix unquam largiorem fieri qnatuor cubitis permittebat. Referebat autem poſteà idem venerabilis Vir, quia dum beatus Romualdus cum ipſo maneret, & Pſalmos utérque inter ſe vicariis verſibus alternaret, tricies in nocte vel eò ampliùs ſe Romualdus ad requiſita naturæ ire ſimulabat, quoniam af-

fluentiam lachrimarum inundantiam átque ſingultus cohibere non poterat. Cúmque ibi Romualdus aliquamdiu moraretur, & fratres non ſolùm de ſpirituali certamine, verùm etiam ut ſibi Abbatem præferrent, & communia cuncta facerent, admoneret, illi quia ſuum habebat unusquísque ſuſtentatorem, & prout cuíque libuerat, proprii ſequebatur arbitrii libertatem, Romualdi præcepta ſuſcipere non magnopere curaverunt.





Cap: insertus.



Rupe Camalduleâ in Somnis Romualdus, Olimpo
Scala quod ad terras hæreat usque videt.
hâCCe VIrI apparent CœLos asCenDere In aLbIs,
hâcce fit instructus, visa quid ista velint
nempè quod exterior sit menti albedo nitenti
ConneCtenDa: eCCè hInC gens sVa Veste nItet.

Ordine & tempore exigente, hìc ponitur Descriptio Visionis sancto Romualdo per Scalam in somnis factæ. *

RUpe Camalduleâ in somnis Romualdus, Olympo
Scala quòd ad terras hæreat úsque, videt.
HaCCe VIrI apparent CœLos asCenDere In aLbIs,
Hacce fit instructus, visa quid ista ve int.
Nempè quod exterior sit menti albedo nitenti
ConneCtenDa: eCCe hInC gens sVa Veste nItet.

* *Breviarium Romanum 7mo Februarii.*
P. Timotheus de Bagno in vita S. Romualdi c. XI. fol. 130.

CUmque Romualdus centum & duos ætatis suæ annos reposuisset; monasteria numero centum ædificasset: Eremos in desertis hinc inde non modicas erexisset, ac piis eas incolis replêsset, existimabat tandem viribus suis nec non Divinis sibi ad hæc concessis gratiis, salutem proximorum quod attinet, abundè satisfecisse: ambiebat proinde nunc quendam ab omni humano consortio semotum, mundóque penitùs occultum invenire locum. Hoc ejus desiderium non parùm nutriebat mons ille (Appeninus dictus) qui Italiam in medio dividit: hic in iis finibus montium omnium est altissimus, ascensu difficillimus, ob incredibile frigus & algores toto penè anno

nivibus coopertus; ob septem viventium aquarum limpidissimos rivulos percelebris, de ejus latere uno urbes inclitæ, Florentia & Aretium conspiciuntur, duóque maria intuentium oculos recreant; ex altero mons Alverniæ, in quo sanctus Franciscus Seraphicus Sacrorum Christi vulnerum recepit stigmata, se repræsentat. Erat illi nomen quondam (& verè conveniens) Campus amabilis, nunc autem Camaldulum appellatur (id est, Campus Malduli: quia Comitis cujusdam nomine Malduli proprius fuerat) Mons itáque Appeninus apparebat de foris Romualdo suum ad propositum supra omnia idoneus, vexabátque idcirco multo tempore mirum in modum ejus animum, adeò, ut die quodam vehementiùs desiderio mentis impulsus viam arripuerit, densa sylvarum penetrare, & arida rupium devia scandere cœperit, quæ, quò plùs superabat, eò majori mentem illius perfundebant gaudio; tandem multos post sudores verticem jam tenenti vix non cœlestis se scena pandebat Paradisi: Siquidem cernere erat vagam ibi & amplam virentium camporum planitiem, selectissimas frondosarum arborum umbras: jucundus à placidis ventorum agitationibus ramorum strepitus lympharum lapillos & arenas offendentium non ingratus susurrus,

Avi-

Aviúmque hinc inde ſalientium dulciſoni garritûs reſonantia aures replebat: deníque nil præter cœlum & terram oculis habebat obvium, hæc ſenſus corporis - illud raptam in Deum exhilarabat mentem. Verúm ob nimium laſſorum membrorum defatigationem in umbroſo penès fonticulum è rupe decidentem loco conſidere cogitur. Et ecce vix Romualdus terram tenet, tam ſuavitèr muſicis irrationalibus ſonoris corpus non tam naturâ, quàm Dei Providentiâ ſuperveniente ſomno opprimitur, in quo ùt alter Jacob Scalam à terra ad cœlum úſque pertingentem, & ſuper hanc ſuos ordine Religioſos candidîs veſtitos aſcendere videt; Sopore tandem recedente evigilat ineffabili intùs dulcedine recreatus: Dictis deîn ſuo in ſe tam benigno & clementi Deo pro favore hoc ſolamine plenô gratiis denuò montem deſcendendo hæc, quæ viderat, miſterioſa in mente repetit, eáque Thedaldo Præſuli Aretino referre ſtatuit: Talia ſecum volventi Maldulus, cujus memineram ſuperiùs, Comes, & qui ea, quâ Romualdus, horâ eandem viſionem habuit, venit obviam: hic Romualdo conſpecto, quodammodò attonitus factus, cognoſcit illum eum ipſum eſſe ſanctum Virum, quem paulò antè in ſomno per viſionem viderat, narrantes igitur mu-

 tuò

tuò visa de loci pro eremo condenda aptitudine tractant; imò Maldulus cordis sui sensum clariùs expectorat, insinuando ad tale quid in effectum deducendum non solùm prædium suum & Palatium inibi situm, facilè & modicis sumptibus in Ecclesiam & Conventum erigibile, verùm se ipsum suscipiendo sanctæ conversationis habitum dare, & Deo consecrare esse se paratum. Romualdus totum ergò Dei providentiæ & Divinæ dispositionis esse beneficium, & opus cognoscens, animosè ad prædictum Aretii Antistitem se confert, rem ex integro enarrat, & suum propositum juxtà ac desiderium illi judicandum tradit, quod ille adeò non improbavit, quin animum ad perseverandum, imò perficiendum addiderit, in cujus finem ei delineationem fabricandæ eremi ipse porrexit, primum Ecclesiæ fundamenti lapidem posuit, átque largis Romualdum, unde suos alere possit, prædiis ac bonis donavit. Fecit ergò statim ad initium Romualdus cellas quatuor solitarias, quarum unam sibi electam trium annorum spatiô, nempè ab Anno 1009no úsque Annum 1012mum inhabitavit, quo durante tempore opere simul & exemplo modum & vivendi normam (quæ hodie úsque laudabilitèr servatur) instituit. Pullum in Monasterio Anno 927mo Classe susce-

ſuſceptum habitum (quem in hunc úſque 1012mum Annum ſumma in veneratione detulit) in candidam veſtem vi viſionis divinitùs ſibi factæ transmutavit, cuſtodiendo tamen & conſervando pro ſemper ſanctam beati Benedicti Regulam. Atque hoc modo Inſtitutum Romualdi ortum, à Summo Pontifice confirmatum, à ſancti Benedicti Sectatoribus, per colorem album diſtinctum, & à Comite Maldulo unà cum loco ipſum etiam Camaldulenſe nomen eſt ſortitum, ità ut etiamnum hodie eremus, & omnes in ea profeſſi appellentur Camaldulenſes.



35.



Castri in valle locus circumdatus undiq; sylvis
cernitur, hic vitæ est aptus eremiticæ:
hinc Patri atq; Suis offertur sponte colendus
Cellis constructis ordine cuiq; Suis;
quos inibi Domino tulerit fructus animarum,
Scribere non valeo, nec retulisse queo.

CAPUT XXXV.

De adventu ejuſdem in Vallem de Caſtro, & multo animarum fructu per eum facto.

CAſtri in Valle locus circumdatus undique ſylvis
Cernitur, hic vitæ eſt aptus Eremiticæ:
Hinc Patri átque ſuis offertur ſpontè colendus
Cellis conſtructis ordine cûique ſuis.
Quos inibi Domino tulerit fructus animarum,
Scribere non valeo, nec retuliſſe queo.

ROmualdus ergò ſterilitatis impatiens anxia cœpit aviditate perquirere, ubi terram potuiſſet ad proferendos animarum fructus idoneam invenire. Miſit itáque nuntios ad Camerinæ Provinciæ Comites, qui audito nomine Romualdi nimio repleti gaudio, cuncta ſuæ virtutis offerunt prædia, non modò ſylvarum & montium, ſed ſi ſibi etiam placeret agrorum. Poſtremò repertus eſt in eorum poſſeſſione locus eremiticæ converſationis ſatis congruus, montibus undìque vallatus & ſylvis. In medio verò ampla quædam planities non ſolùm proferendis frugibus apta, ſed perſpicuis etiam fontium aquis irrigua. Hic itáq; locus Vallis de Caſtro antiquitùs vocabatur, ubi jam parva erat Eccleſia, in qua converſarum quarumdam mulierum videbatur

batur esse conventus. His itàque locô cedentibus constructis cellulis illic habitare eum suis discipulis Vir venerabilis cœpit. Ibi autem quantos animarum fructus per illum Dominus aquisierit, quis valeat, vel atramento describere, vel lingua proferre. Cœpêre námque homines ad pœnitentiam hinc inde confluere, sua pauperibus misericorditèr erogare, alii sæculum omninò relinquere, & ad sanctæ conversationis ordinem spititu fervido festinare. Erat enim Vir beatissimus quasi unus de Seraphim, quia & ipse flamâ Divini amoris incomparabilitèr æstuabat, & alios, quocúnque pergeret, Sancta prædicationis facibûs incendedat. Sæpè námque dum prædicationis verba proferret, tanta illum compunctio in lachrimas excitabat, ut subitò interruptum sermonem relinquens, aliquorsùm repentino impetu velut amens auffugeret. Nam & si quando cum fratribus equitabat, longè post alios veniens, sempérque psallens, nihilominùs ac si in cellam resideret, jugitèr lachrimas effundere non cessabat.

Inter cæteros autem præcipuè singulares Clericos, qui per pecuniam ordinati fuerant, durissima severitate corripiebat, & eos nisi ordinem spontè desererent, omninò damnabiles, & hæreticos asserebat. Qui novam rem audientes, occidere eum moli-

moliti ſunt: per totam námque illam Monarchiam, úſque ad Romualdi tempora, vulgata conſuetudine, vix quisquam noverat, Simoniacam hæreſim eſſe peccatum. Qui dixit eis: *Canonum mihi libros afferte, & utrum vera ſint, quæ dico, veſtris atteſtantibus paginis comprobate?* Quibus itáque diligentèr inſpectis, & crimen agnoſcunt, & errata deplangunt. Conſtituit itáque Vir ſanctus plures Canonicos, & Clericos, qui Laicorum more ſæcularitèr habitabant, Præpoſitis obedire, & communitèr in Congregatione vivere docuit. Nonnulli quóque Epiſcopi, qui per Simoniacam hæreſim ſacras Sedes invaſerant, ad eum causâ pœnitentiæ concurrebant. Qui etiam venerabili Viro ſe committentes & Epiſcopatum termino ſtatuto deſerere, & ad ſanctæ converſationis ſe promittebant ordinem feſtinare. Ex quibus tamen Vir ſanctus, quamdiu vixit, neſcio, ſi vel unum convertere potuit. Eſt enim venenata illa hæreſis, præſertim in Epiſcopali ordine, tam dura & ad convertendum rigida, ut ſemper promittens, ſemper de die in diem producens, átque in futurum procraſtinans, faciliùs poſſit Judæus ad fidem converti, quàm hæreticus latro plenè ad pœnitentiam provocari.

CA-

36.



Fratribus est præsens Sacrâ Almi corpus in æde,
mens furem in cellâ furta parare videt:
Ocÿus ergò capi mandat, captumq; teneri,
finis donec erit Numinis obsequÿ.
Quid tunc? en dapibus=Verbis post pascit amaris,
atq; suas tandem commonet ire vias

CAPUT XXXVI.

De Fure, quem frangentem cellam Gregorii per ſpiritum vidit, illæſum dimiſit.

FRatribus eſt præſens ſacrâ Almi corpus in æde,
Mens furem in cella furta parare videt.
Ocyùs ergò capi mandat, captúmque teneri,
Finis donec erit Numinis obſequii.
Quid tunc? en dapibus - verbis pòſt paſcit amaris,
Atque ſuas tandem commonet ire vias.

IN eiſdem quóque partibus Vir ſanctus Monaſterium condidit puellarum. Solemni quadam die, dum Vir venerabilis illic cum fratribus in Capitulo reſideret, & eos ſalutaris doctrinæ dapibus ſatiaret, repentè ipſum interrumpens ſermonem, anxia quadam animadverſione exclamare cœpit, & dicere: *Agite! nunc*, inquit, *agite, & quantocyùs properate, quia jam fratris Gregorii cellam fur frangit (hic autem Gregorius Archiepiſcopus in Gentibus poſtmodùm conſecratus eſt)* qui protinùs exilientes ad cellam pernicitèr currunt, & furem jam parietes infringentem inveniunt. Quem capientes ad Magiſtrum pertrahunt, & quid de tam ſacrilego raptore faciendum eſſet, inquirunt. Quibus Vir ſanctus cœpit hilaritèr dicere: *Et ego, fratres, ignoro, quid de tam malo homine poſſimus facere.*

facere. Eruimus sibi oculos? sed postea non videbit. Incidimus ei manum? sed ampliùs non laborabit, ac per hoc forsitan fame peribit. Si pedem truncamus, ambulare non poterit. Sed intro eum minate, & cibum illi priùs apponite, ut quid de eo faciendum sit, interim pertractemus. Et ità Vir sanctus exultans in Domino, postquàm cibari latronem fecit, deinde modestè correptum, & dulcibus verbis admonitum, redire ad propria in pace permisit.



CA-





Sanctus ubi monachis fecit de jure Priorem
Coenobÿ castri Vallis, abire parat;
Venit et in veterem /: sic passim dicitur :/ urbem
et nova Parulphi claustra ibi struxit ope.
Sæpe /: ait :/ O utinam totus foret orbis eremus,
incola et illius, si foret omnis homo!

CAPUT XXXVII.

De Monaſterio Urbis Veteris, quod conſtruxit.

SAnctus ubi Monachis fecit de jure Priorem
Cœnobii Caſtri Vallis, abire parat.
Venit & in veterem (ſic paſſim dicitur) Urbem,
Et nova Parulphi clauſtra ibi ſtruxit ope.
Sæpè (ait) ô utinam totus foret orbis eremus!
Incola & illius, ſi foret omnis homo.

POſtremò dimiſſis, in Valle de Caſtro nonnullis de ſuis Diſcipulis, ad regionem ſe Urbis veteris contulit, & in poſſeſſione Pharulphi Comitis Monaſterium, multis quidem ſuffragantibus, ſed eo maximè expenſas præbente, conſtruxit. Tantus námque in ſancti Viri pectore faciendi fructus ardor incanduerat, ut effectis nunquam contentus, dum alia faceret, ad facienda mox alia properaret; adeò, ut putaretur totum mundum in eremum velle convertere, & Monachico ordini omnem populi multitudinem ſociare. Multos denique illic de ſæculo abſtulit, quos per plura ſacra loca diviſit.



38.



Guidonis Natus Romualdi tyro novellus
ob culpam en tenuem /: dum sub agone jacet: /
horrida Spectra videt, sed mox delicta Magistro
fassus Spectra fugat, mortuus astra tenet.
Illius ad tumulum genitoris Servus ut orat,
consequitur visum, quo prius orbus erat

CAPUT XXXVIII.

De filio Comitis, qui cæcum post mortem illuminavit.

Guidonis natus, Romualdi Tyro novellus,
Ob culpam en tenuem (dum ſub agone jacet)
Horrida ſpectra videt, ſed mox delicta Magiſtro
Faſſus ſpectra fugat, mortuus aſtra tenet.
Illius ad tumulum Genitoris Servus ùt orat,
Conſequitur viſum, quô priùs orbus erat.

NOnnulli quóque nobilium filii contemptis Parentibus, ad Virum beatiſſimum fugiebant. Ex quibus etiam filius Guidonis Comitis fuit, qui in ipſa pueritia non longo tempore poſtquam Monachus factus eſt, ad mortem veniens, vidit duos iniquos Spiritus, quaſi nigerrimos vultures terribiles in ſe oculos infigentes. Cùmque hoc aſſiſtenti ſibi beato Romualdo puer ediceret, protinùs addidit: *Ecce Magiſter, tanti nunc Æthiopes intrant, ut jam totum ædificium repleant.* Exhortatur autem, ut confiteretur, quid deliquiſſet, hoc ſolummodò crimen felix ille peccator cum magno terrore confeſſus eſt, quia juſſus fuerat à Priore, neſcio quot ſcopas accipere, quas necdum acceperat. Romualdo igitur ſibi tanti facinoris veniam indulgente, in pace defunctus eſt. Poſtera verò die, cæcus qui-

dam, Præbendarius quidam videlicèt Patris ejus, ad ſepulchrum illius venit, & altiori voce clamavit: *Hem! Domine*, inquit, *meus, ſi cum Deo es, ſicut credo, preces pro me ad eum funde, & oculorum mihi lumen reſtitue.* Et hoc dictô ſtatim illuminatus eſt. Nonnulli quóque ægroti ad ejus tumulum venientes, redditi ſunt ſanitati. Nam & ipſum ejus ſepulchrum velut multis plenum aromatibus redolebat. Et ità à Deo meruit honorari poſt mortem, qui pro ejus amore dum viveret, carnalium Parentum ſprevit hæreditatem.



CA-



Bônfacium toleràsse necem Romualdus ùt audit,
Pannoniam pariter morte obiturus abit;
Cuius ubi iam iam tetigit confinia, morbus
Suspendit cæptum continuare gradum;
ex quo cognoscens non Numinis esse voluntam,
disponit mensas mox revocare vias.

CAPUT XXXIX.

De tribus Monasteriis, quæ sanctus Romualdus construxit, & de profectione ejus in Hungariam.

BOnifacium tolerâsse necem Romualdus ùt audit,
Pannoniam paritèr morte obiturus abit.
Cujus ubi jam jam tetigit confinia, morbus
Suspendit cœptum continuare gradum.
Ex quo cognoscens non Numinis esse voluntam,
Disponit mensas mox revocare vias.

INterea Romualdus audiens, quia beatissimus Vir Bonifacius martyrium suscepisset, nimiô desiderii igne succensus, ut pro Christo sanguinem funderet, Hungariam mox ire disposuit. Interim tamen, dum in ipsa intentione persisteret, brevi tempore tria constituit Monasteria, unum videlicèt in Valle de Castro, ubi nunc sanctissimum corpus ejus est conditum, aliud propè Isinum fluvium, tertium juxta oppidum condidit Esculanum. Deinde licentia ab Apostolica Sede suscepta, & duobus è suis Discipulis in Archiepiscopos consecratis, cum viginti quatuor fratribus iter arripuit. Tantus enim ardor moriendi pro Christo in omnibus æstuabat, quod Vir sanctus ad tale negotium cum paucis ire difficilè poterat. Euntes ergò cum jam

ipſis Pannoniarum finibus intereſſent, repentè Romualdus languore correptus, ulteriùs ire non potuit. Cúmque diutiùs pateretur, ſi quando redire diſponeret, protinùs ex ægritudine convaleſcebat; Sin autem ire ire ultra tentaret, tota ejus facies protinus intumeſcebat, cibos quóque jam retinere ſtomacho langueſcente non poterat. Advocatis itáque fratribus ait: *Perpendo*, inquit, *nequaquam Divinæ voluntatis eſſe judicium, ut ultra progrediar. Verumtamen quia intentionis veſtræ deſiderium non ignoro, neminem veſtrum redire compello. Multi nempè etiam ante nos totis niſibus ſtuduerunt ad martyrii culmen pertingere; ſed quia Divina Providentia alitèr ſenſit, in ſuo gradu coacti ſunt remanere. Licèt ergo vobis omnibus martyrium defuturum eſſe non ambigo, qui tamen ire, qui mecum redire voluerint uniuscujúsque relinquatur arbitrio.* Quindecim igitur Hungariam prodeuntibus duobus alibi jam dimiſſis, vix ſeptem cum Magiſtro Diſcipuli remanſerunt. Euntium autem quidam flagellantur, venduntur, plures Domino ſubeunt, ad martyrium tamen, ſicut Vir ſanctus prædixerat, non pertingunt.

Romualdus autem converſo quodam nobiliſſimo Viro, Adhelberonis videlicèt Ducis Conſanguineo, qui poſtea Monachus factus in ſancta uſque ad mortem converſatione permanſit, aliiſque Teutonicis, ad

ad monaſterium, quod in Urbis veteris regione conſtruxerat, rediit. Notandum itáque eſt, quia ſanctus Vir nequaquam velut levitate uſus, falli inanitèr potuit, qui ſecundùm intentionem quidem ſuam martyrium ſubiit, juxta Divinum verò conſilium pro ſalute eorum miſſus eſt, quos convertit. In prædicto igitur Monaſterio multa perſecutionis ſcandala paſſus eſt. Volebat enim Abbatem, ut reverà Monachum, extremitatem diligere, ſæcularia ex deſiderio non tractare, res Monaſterii pro vana gloria non expendere, fratrum uſibus neceſſaria miniſtrare. Quæ omnia dum ille ſurda aure contemnit; Romualdus locum cum ſuis Diſcipulis deſerens, non longè à Caſtro prædii in virtute Rainerii, qui poſtmodùm Tuſciæ Marchio factus eſt, habitavit.



40.



Innocuæ mentis quantus Romualdus amator;
quantus vel minimi criminis osor erat:
Conÿce, ubi in prato /: cuius Râinerius hæres :/
sedit, at horrendum fors Scelus ille patrat;
quas coluit gratis hucusq; relinquere Sedes
constituit, complex ne fieret sceleris.

CAPUT XL.

De Rainerio Marchione.

INnocuæ mentis quantus Romualdus amator,
Quantus vel minimi criminis osor erat;
Conjice, ubi in pratô (cujus Rainerius hæres)
Sedit, ad horrendum fors scelus ille patrat.
Quas coluit gratìs hucusquè, relinquerę sedes
Constituit, complex nè fieret sceleris.

HIc autem Rainerius conjugem suam occasione propinquitatis abjecerat, & consanguinei sui uxorem, quem ipse se insequentem quodammodo invitus occiderat, in conjugium copulârat. Ob hoc itáque Romualdus, nè criminis ejus particeps fieret, gratis manere in ejus possessione noluit, sed unum sibi aureum pro aqua, alterum verò pro lignis appendit. Quos cum ille omninò respueret, malens videlicèt sua dare, quàm à sancto Viro quidquam recipere, postremò tamen victus assensit, potiùs quàm Romualdus abiret. Dicebat autem idem Rainerius, cum jam Monarchiam obtineret, quia non Imperator, non aliquis omninò mortalium tantum mihi metum valet incutere, quan-

tum me Romualdi terret aſpectus. Ante ejus quippè vultum néque quid dicam, ſcio, néque quibus me defendere valeam, ullas excuſationes invenio. Habebat reverà Vir ſanctus hanc ex Divino munere gratiam, ut quicúnque peccatores, præſertim potentes ſæculi, in ejus præſentiam deveniſſent, mox velut ante Majeſtatem Dei tremefactis viſceribus formidarent. Sanctus nimirum Spiritus, qui pectori ejus habitator inerat, hunc terrorem injuſtis divinitùs intendebat.



CA-



dum Romualdus abest, classensem frater in ædem
per Simoniam fecit iura sibi :
depositus, plexusquè ergò est hic impius, ast heû!
ultor quâ Sanctum tolleret, arte studet.
Sacrilègâ imò manu iam Patris guttura stringit,
indè sed ardenti torre fugatus erat.

CAPUT XLI.

De Abbate Claſſis, qui ſanctum Romualdum voluit ſtrangulare.

DUm Romualdus abeſt Claſſenſem frater in ædem
Per Simoniam fecit jũra ſibi :
Depoſitus, plexusquè ergò eſt hic impius, aſt heû!
Ultor quâ Sanctum tolleret, arte ſtudet;
Sacrilega imò manu jam Patris guttura ſtringit,
Inde ſed ardenti torre fugatus erat.

ILlis verò temporibus Vir venerabilis unum Monaſterium non longè à Maſſiliano Caſtro conſtruxit. Audiens autem aliquando, quia Venetus quidam Claſſenſem Abbatiam per coëmptionem Simoniacæ hæreſeos invaſerat, inſuper quóque in corpus ſuum iniquè peccabat, illuc protinùs ire miles Chriſti impiger ſtuduit, diverſísquc modis ex eo Monaſterium purgare tentavit. Vir autem reprobus dum Abbatiam metuit perdere, non timet homicidium perpetrare. Intempeſta ſiquidem nocte, dum Romualdus in lecto ſecurè quieſceret, ille eum latentèr aggreſſus impiis

piis cœpit digitis guttur ejus aſtringere, nitens eum crudelitèr ſuffocare. Sed dum Vir ſanctus, necdum prorſus intercepto ſpiramine, anhelitu vix eluctante, rauciret, Ingelbertus illicò Magiſtri ſingultibus excitatus, torrem ex ſopito igne corripuit, & Miniſtrum diaboli ab incepto nefandiſſimi criminis exturbavit.



CA-



42.



Ecce Parentinum remeat Romualdus in antrum
Dius nuper ubi est tanta operatus amor.
Sed vix se posuit, captet Solatia mentis,
nuntia Apostolicâ Sunt Sibi missa manu:
quatenus Italicas citiùs properaret in oras,
fulmine nî tangi ceû Anathema volet,

CAPUT XLII.

De itu, & reditu rursus à Parentio.

ECce Parentinum remeat Romualdus in antrum,
Dius nuper ubi est tanta operatus amor.
Sed vix se posuit, captet solatia mentis,
Nuncia Apostolicâ sunt sibi missa manu.
Quatenùs Italicas citiùs properaret in oras,
Fulmine nì tangi, ceû Anathema volet.

POst hæc Romualdus denuò Parentium navigavit; Sed Apostolicæ Sedis Antistes, & Romani cives, ad eum redeundi legationem dirigunt. Quòd si reverteretur, facturos se omnia ejus præcepta promittunt; sin autem, excommunicationis sententiam comminantur. Hoc itáque modo suum Romualdum alumna Italia recuperare promeruit.



CA-

43.



Quærens condendæ Spatium Romualdus eremi
pro Socio monachum poscit, at ille negat,
non ait, ob fures viduam queo linquere Cellam:
Sed Pater: ob tua me Spondeo damna Vadem,
Sic pacti ergo abeunt; capiunt post paulo latronem
mitis at impunem hunc sivit abire Pater

CAPUT XLIII.

De Miraculo latronis in Monte Petrano facto.

QUærens condendæ ſpatium Romualdus Eremi
Pro ſocio Monachum poſcit, at ille negat.
Non ait : ob fures viduam queo linquere cellam :
Sed Pater : ob tua me ſpondeo damna, vadem.
Sic pacti ergò abeunt, capiunt poſt paulò latronem
Mitis at impunem hunc ſivit abire Pater.

EO itáque tempore in faucibus Callenſium montium aliquandiù manſit, deinde in Petranum montem ; non longè videlicèt à Monaſterio ſancti Vincentii, quod juxta Candilianum conſtitutum eſt fluvium, demigravit. Quocúnque autem Vir ſanctus ibat, ſemper fructificans, ſemper animarum lucrum magìs ac magìs accumulans, & homines de ſæculo abſtrahens, velut totus in ignem converſus, ad cœleſte deſiderium animos hominum accendebat. Volens autem tunc locum ad eremum faciendam idoneum invenire, præcepit cuidam Presbytero, ut ad domum propriam rediens, ſibi, & his, qui eum comitabantur, alimenta deferret. Deinde montem indagine ſtudioſa perluſtrans ; poſtremò quemdam Monachum juxta parvam Baſilicam habitantem reperit, à quo

mox,

mox, ut ſecum pergeret, & locum oſtenderet, ubi aqua inveniretur, exegit. Qui nimirùm denegavit ſe domum ſine cuſtode poſſe relinquere, quia latronum inſidiantium impetum formidaret. Ad hæc Romualdus, ſe recompenſaturum, ſi tale quid accidiſſet, cuncta ſpopondit. Sicque jam alienæ injuriæ debitor factus, Monachum ſecum duxit. Illis itáque locum quærentibus, eccè presbyter, ùt juſſus fuerat, prandium deferens, furem jam domum infringentem reperit, repertum cœpit, captum úſque ad Romualdi reditum cuſtodivit. Quem Romualdus inveniens, prius illum piâ ſtuduit verborum auſteritate corripere, deinde dulcitèr admonens incolumem permiſit ad propria remeare. Sic nimirum, ſic Divina providentia ſervavit illæſum, quod in abſentis Romualdi fuerat cuſtodia derelictum.



CA-

44.



dum Struit ædiculas inventâ Sanctus eremo,
quodam Sub Saxo Sporta reposta cavo est;
præscius hanc denuò fore præda certò latroni,
qui Salvet fratrem pellit adire locum.
non errasse Patrem, patet hinc, nam fratre ad eundem
perveniente locum, venit et ipse latro.

CAPUT XLIV.

Item, Miraculum de aliis latronibus.

Dum ſtruit ædiculas inventa Sanctus eremô,
Quodam ſub ſaxo ſporta repôſta cavo eſt.
Præſcius hanc denuò fore prædæ certò latroni,
Qui ſalvet fratrem, pellit adire locum.
Non errâſſe Patrem, patet hinc, nam fratre ad eundem
Perveniente locum, venit & ipſe latro.

Rursùs dum in iiſdem partibus cellas conſtrueret, (erat autem Sarcina procul ab eis ſub quodam ſaxo repoſita) tunc Vir venerabilis quemdam fratrem illuc quaſi cum quodam impetu propulit, præcipiens ſibi, ut nimìs anxiè feſtinaret, qui mox fures ſupervenientes, illos quidem jam rapere tentantes reperit, ſed nihil adhuc ex his, quæ repoſita fuerant, deeſſe cognovit. Qua ex re rectè colligitur, beatum Virum non ſine Divinæ revelationis inſtinctu fratrem cum tanta ſolicitudine deſtinâſſe, ipſo videlicèt puncto, quô fures ad rem non cuſtoditam contigit perveniſſe.



45.



ad vallem Castri Sanctus post longa reversus
tempora per salubri Schemate pascit Oves,
admonet, ut fratres sic Abbas dirigat, ipse
ne ferat ob reliquos fors detrimenta sui.
Cuius non patiens alys mediantibus Abbas
opprobrys actum fecit abire Patrem.

CAPUT XLV.

Quare, & quomodo ſanctus Romualdus ejectus eſt de Valle de Caſtro.

AD Vallem Caſtri Sanctus poſt longa reverſus
Tempora perſalubri Schemate paſcit oves.
Admonet, ut fratres ſic Abbas dirigat, ipſe
Nè ferat ob reliquos ſors detrimenta ſui.
Cujus non patiens aliîs mediantibus Abbas
Opprobriis actum fecit abire Patrem.


POſt hæc Romualdus ad Monaſterium Vallis de Caſtro revertitur, móxque Abbatem ſic alios regere, ut ſemetipſum tamen nequaquam negligeret, exhortatur. Volebat inſuper, ut cellam, qua uſus fuerat, occaſione regiminis non omninò deſereret, ſed in ea ſibimet ſpiritualitèr vivens, præcipuis tantùm feſtivitatibus fratres admonitionis gratiâ viſitaret. Erat enim beato Viro, tam odioſa iſta, quam cernimus, Abbatum converſatio, ut non minùs gauderet, ſi de manu cujúſque Abbatiam potuiſſet evellere, quàm ſi daretur ſibi potentiſſimum quemlibet ſæcularium ad ſanctæ

conversatiouis ordinem convocare. Sed sicut per Salomonem dicitur: *Velut acetum in vitro, ità qui cantat carmina cordi perverso.** Ille prædicatione venerabilis Viri de malo deterior factus, Comitissas loci Dominas protinùs adiit, & ut ligna, quibus Romualdi cellæ debebant construi, minutatim incidi præciperent, sacrilega machinatione suggessit. Eo itáque modo alta Paradisi cedrus de terrenorum hominum sylvis ejecta est.

* *Proverb.* 25. *vers.* 20.



CA-



46.



Presbyter ob nimios male Sano dente dolores
ex opera invitus cogitur ire domum.
causam maturi reditus a Patre rogatus,
narrat, et adversus, quæ medicina? rogat,
Vir Sanctus dentem, dum tangit, Sanat; eundem
Sanum ergo ad Socios mox remeare jubet.

CAPUT XLVI.

De Miraculo, quod fecit in Aqua Bella, curans Presbyterum.

PResbyter ob nimios malè ſano dente dolores
Ex operâ invitus cogitur ire domum.
Cauſam maturi reditûs à Patre rogatus
Narrat, & adversùs, quæ medicina? rogat.
Vir ſanctus dentem, dum tangit, ſanat, eundem
Sanum ergò ad ſocios mox remeare jubet.

INde verò progrediens non longè ab Apennino monte, in loco, qui dicitur Aqua Bella, manere conſtituit. Illic ſanè dum ſæculares quidam cum Diſcipulis ejus habitationum tecta conſtruerent, Romualdus autem, quia jam præ ſenectute laborare non poterat, & ſolus hoſpitium cuſtodiret, Presbyter quidam intolerabilem dolorem in dentibus ſentiens, opus ædificii invitus reliquit, & poſtulata à fratribus licentiâ, redire domum miſerabilitèr ejulans, cœpit. Cúmque per Romualdum tranſitum reverſionis haberet, interrogatus: cur abſcederet? mox caſum ſuæ paſſionis innotuit. Huic Romualdus locum hianti, ubi patiebatur, digito tetigit, dicens: *Ignitam*, inquit, *ſubulam, nè labrum lædat, in calamum mitte, & hìc pone, ſic dolor aufugiet*; Vix Presbyter unius jugeris ſpatio ul-

trà progreſſus eſt, & confeſtim omni dolore depoſito, ad opus, quod reliquerat, ſanus, & incolumis repedavit, claris nimirùm vocibus exclamans, & dicens: *Gratias tibi agimus, Omnipotens Deus, qui Regionem noſtram ſplendore tanti ſideris illuſtrare dignatus es. Verè Angelus Dei, verè Propheta ſanctus, & lux magna occulta mundo, in finibus noſtris apparuit.* Hæc, & alia multa in Dei laudem vociferans, vix à beati Viri Diſcipulis tacere compulſus eſt. Nam ſi talia verba ad Romualdi aures qualibet occaſione pertingerent, graviſſima cor ejus indignatione ferirent.



CA-



Stat iuxta Cellam Romualdo incommoda fagus,
hinc jubet, ut tollat, falce Colonus eam.
arbore Sedœllæ timet ille cadente ruinam
(: nec vanè timuit causa timoris erat :)
ast crucis efformat Signum Romualdus, et arbor
vim patiens alio est pondere flexa Suo.

CAPUT XLVII.

Item, Miraculum de Fago propè cellam ejus incisa.

STat juxta cellam Romualdo incommoda fagus,
Hinc jubet ut tollat, falce Colonus eam.
Arbore sed cellæ timet ille cadente ruinam
(Nec vanè timuit, causa timoris erat)
Ast crucis efformat signum Romualdus, & arbor
Vim patiens aliò est pondere flexa suo.

ALio quóque tempore, dum in quadam eremo valde speciosa, & egregia, cui nomen ést Camaldulensis, quam ipse ædificaverat, in cella resideret, magnam aliquam fagum, quæ propè cellam ejus adstabat, incidi præcepit. Erat autem fagus ita cellæ acclinis, & iṁinens, ut juxta humanam opinionem, si cecidisset, totum mox ædificium indubitantèr obrueret. Cúmque operarii vellent jussa perficere, sed ruinam arboris formidarent; ille, ut nequaquam timeretur, instabat; itáque cum impactis circumquáque securibus, in ipsa jam arboris viscera veniretur, arbor autem super beatum Virum non jam dubio impetum minaretur, cœpêre omnes rogare, & vocibus clamosis vehementèr insistere, ut si cellam postponeret, semetipsum exiens con-

conſervaret. Ille autem nequaquàm eorum clamoribus acquieſcens, ut cœptum citò perficerent, definitè præcepit, facto ſigno crucis contra eam. Poſtremò fagus graviſſimo ſonitu corruens, ita aliorſum eſt ex Divina virtute projecta, ut cunctis mirantibus, cella omninò remaneret illæmiſa. Omnes igitur tanto obſtupefacti miraculo, lætas ad cœlum voces tollunt, & immenſas Deo gratias referunt.



CA-



Cædere iussus homo est prærupti in vertice montis
ilicem, at infelix non bene cautus agit,
nam ruit hæc falcis multos agitata per ictus,
et secum miserum vallis in ima rapit,
creditur extinctus, contritus creditur omneis,
ille sed incolumis Patre precante redit.

CAPUT XLVIII.

De Ilice lapſa ſuper Ruſticum, & eum non lædente.

CÆdere juſſus homo eſt prærupti in vertice montis
Ilicem, at infelix non benè cautus agit.
Nam ruit hæc falcis multos agitata per ictus,
Et ſecum miſerum vallis in ima rapit.
Creditur extinctus, contritus creditur omneis,
Ille ſed incolumis Patre precante redit.

SEd quid nos de Divina circa venerabilem Virum cuſtodia dicimus, cum & alios ſæpè per ejus præſentiam ex magnis ereptos fuiſſe periculis non ignoramus? Ex quibus videlicèt unum hìc memorare ſuſſiciat, ut plures fuiſſe prudens lector agnoſcat: Aliquando námque ipſe cum operariis manens nimiæ magnitudinis Ilicem in monte Petrano faciebat incidi. Quæ videlicèt arbor in prærupto montis declivio pendens, in ima vergebat. Ruſticus autem quidam paulò inferiùs ſtabat. Cum igitur præciſa arbor gravitèr corruens, per devexum montis volveretur in præceps,

mox repertum Rusticum repentino impetu cœpit ad inferiora rotare. Cuncti protinus dolentes exclamant, & jam non solùm esse hominem mortuum, sed totum quóq; dilaceratum ejus corpus existimant. Sed mira Divina virtus! ita mox sanus, & incolumis repertus est, acsi super eum non arbor, sed arboris folium cecidisset. Hinc jure perpenditur, sancti Viri meritum, quantum apud Deum pondus habuerit, in cujus conspectu gravissima arboris moles pondus habere nescivit.



CA-



pro Vitio carnis iuste correptus alumnus,
Vin dictam Spirans in mala peior abit
dicit enim Sanctum (: Scelus ô horibile dictu :)
patrati Socium criminis esse suum,
hinc laquei, hincq; rogi cætus Styge concitus omnis
Sacrilego justum nuntiat ore reum.

CAPUT XLIX.

De contumelia, quam paſſus eſt à ſuis Diſcipulis in Sytria.

PRo vitio carnis juſtè correptus alumnus,
Vindictam ſpirans in mala pejor abit.
Dicit enim Sanctum (ſcelus ô horribile dictu!)
Patrati ſocium, criminis eſſe ſuum.
Hinc laquei, híncque rogi cætus ſtyge concitus omnis
Sacrilego juſtum nuntiat ore reum.

POſtmodùm verò Romualdus, cum Apenninum deſereret, montem Sytriæ habitaturus aſcendit. Cavendam autem ſummopere eſt, nè quis cum audiêrit, quia Vir ſanctus tot loca mutaverit, pii operis pondus vitio levitatis adſcribat. Hæc námque mutationum ejus cauſa procul dubio fuerat; quia ad venerabilem Virum, ubìcúnque degeret, turba hominum penè iñumerabilis concurrebat; Ratio ergò poſcebat, ut cùm unius loci ſpatium plenum habitatoribus cerneret, illic Priore conſtituto, ad replendum mox aliud feſtinaret. In Sytria verò quot contumelias, quot ſcandala à ſuis Diſcipulis paſſus ſit, non eſt noſtræ

ſtræ facultatis evolvere. Ex quibus videlicèt unum hìc ponimus, cætera brevitatis ſtudio præterimus. Habebat námq; quemdam Diſcipulum, Romanum nomine, qui nobilis quidem fuerat genere, ſed omninò degener actione. Hunc itáque Vir ſanctus cum pro ſuæ carnis immunditia non modò verbis argueret, ſed ſæpè etiam verberibus graviſſimis coërceret, auſus eſt diabolicus Vir titulum illi ejuſdem reatûs opponere, & impudentèr contra Spiritus ſancti templum ſacrilego ore latrare, dicens videlicèt ſanctum Virum unà ſecum ex eadem contagione peccâſſe. Mox itáque Diſcipuli omnes adversùs eum irati, omnes infeſti, alii clamant, Senem impium laqueô debere ſuſpendi; alii dignum judicant cum ipſa cellula ignibus concremari. Quod utique valdè mirabile fuit, præſertim ſpirituales viros ex decrepito Sene, & ultrà quàm centenario, tam nefarium ſcelus credere potuiſſe: cui etiam ſi voluntas adeſſet, natura tamen & frigidus ſanguis, & ariditas attenuati corporis hoc penitùs denegaret. Sed credendum eſt procul dubio, ad augendum ſancti Viri meritum, hoc ſibi tam gravis adverſitatis cœlitùs accidiſſe flagellum. Nam & ipſe aſſerebat, hoc in Eremo, unde nuper abſceſſerat, veracitèr agnoviſſe, & ad hoc dehoneſtatis imprope-

rium

rium ſubeundum alacritèr adveniſſe. Ille autem Sarabaita reprobus, qui ſancto Victo crimen intenderat, Epiſcopatum poſtmodùm Nucerinum per Simoniacam hæreſim acquiſivit, & per biennium illum occupans, in primo anno incenſam ædem cum libris & tintinnabulis, ac cæteris ſacris ornamentis, exigentibus ſuis meritis vidit; In ſecundo autem dignitatem cum vita, Divinâ illum feriente ſententiâ miſerabilitèr perdidit.



50.



Acceſsu Altaris cohibet Patrem sua Proles
innocuum, Deus at Sacra iterare jubet:
qui dum Sacratam devotus Staret adaram,
mente repentè fuit raptus in alta poli.
tunc Schola ei coelum fuerat, Deus ipse Magister
quò potuit David post nucleare libros.

CAPUT L.

De Divina jussione ad sanctum Romualdum, ut Missam celebraret, & Psalmos exponeret.

ACcessu Altaris cohibet Patrem sua Proles
Innocuum, Deus at Sacra iterare jubet.
Qui dum sacratam devotus staret ad aram,
Mente repentè fuit raptus in alta poli.
Tunc Scola ei Cœlum fuerat Deus ipse Magister,
Quô potuit David pòst nucleare libros.

IMposuerunt itáque Discipuli sancto Viro, quasi de commisso crimine pœnitentiam, & celebrandi sacra Mysteria penitùs abstulêre licentiam. Quod ille præjudicium libentèr amplectens, & pœnitentiam velut revera obnoxius criminis observavit, & ad sacro-sanctum Altare per sex ferè menses accedere non præsumpsit. Tandem verò, sicut ipse postmodum eisdem suis Discipulis retulit, divinitùs sibi jussum est, ut si Divinam timeret gratiam perdere, jam indiscretam simplicitatem omninò postponeret, & sacra Missarum Solemnia fiducialitèr celebraret. Postera igitur die sacrificare incipiens, cum ad secunda Missæ secreta perventum esset, in extasim raptus, tam longo temporis spatiô siluit, ut omnes, qui aderant, mirarentur. Interrogatus

autem poſtmodùm, cur in offerendo Sacrificio tantas moras præter ſolitum habuiſſet? reſpondit: *Raptus*, inquit, *in cœlum oblatus ſum ante Deum, & continuò mihi Divina voce præceptum eſt, ut ſecundùm hunc intellectum, quem mihi Deus immiſit, Pſalmos exponerem, & pro modulo mei ſenſus chartulis per ordinem commendarem. Ego autem nimio & inenarrabili terrore conſtrictus, reſpondere nihil aliud potui, niſi tantūmodò fiat, fiat.* Unde poſteà Vir ſanctus totum Pſalterium, & nonnulla Prophetarum Cantica luculentèr expoſuit; & licèt corrupta Gramaticæ regula, ſanum tamen ſenſum ubíque ſervavit.



51.



Discipulis animæ quæ sit quærentibus ætas,
formaq; dum veniet Numinis ante thronum:
respondet: veluti nix Splendida cernitur, illi
ætas perfecta est, effigiesq; hominis,
hæc licet ex alio se se didicisse referret,
attamen ille est, qui sic stetit ante Deum.

CAPUT LI.

De anima ſancti Romualdi, quæ delata eſt antè Deum, candida velut nix.

DIſcipulis animæ quæ ſit quærentibus ætas,
Formáq;, dum veniet Numinis ante Thronum?
Reſpondet: veluti nix ſplendida cernitur, illi
Ætas perfecta eſt, effigiésque hominis.
Hæc licèt ex alio ſe ſe didiciſſe referret,
Attamen ille eſt, qui ſic ſtetit antè Deum.

INterrogaverunt eum aliquando Diſcipuli, dicentes: *Magiſter! cujus eſſe ætatis anima cernitur, vel in qua figura ad judicium præſentatur?* Reſpondit: *Scio hominem in Chriſto, cujus anima delata eſt ante Deum ſplendida velut nix, humana quidem effigie, ſtatura verò perfectæ ætatis.* Inquiſitus iterum, quis ille eſſet? indignans, & confundens illos, dicere noluit. Mox Diſcipuli rem ad eum, ut veracitèr erat, inter ſe invicem referunt, & ipſum fuiſſe hominem certa manifeſtatione cognoſcunt.



52.



Quid queat? in Sitriæ Romualdus tentat eremo,
annos dum Septem, Sponte reclusus agit.
Cruda erat herba Cibus, potus de montibus unda,
lectus humus, Sa[illegible]m culcitra, matta tegit.
lingua Silet, sed flagra Sonant, gemitusq perorant
Sic taceat tantum lingua, ubi facta docent.

CAPUT LII.

De nimia diſtrictione vitæ, quam in Sytria tenuit.

QUid queat? in Sytriæ Romualdus tentat Eremo,
Annos dum ſeptem, ſpontè recluſus agit.
Cruda erat herba cibus, potus de montibus unda,
Lectus humus, ſaxum culcitra, matta tegit.
Lingua ſilet, ſed flagra ſonant, gemitúsque perorant,
Sic taceat tantùm lingua, ubi facta docent.

IN Sytria deníque Vir venerabilis per ſeptem ferè annos incluſus manſit, & ſilentium continuum inviolabilitèr tenuit. Verumtamèn tacente lingua, & prædicante vita, vix uſquam tantùm laborare aliquando potuit, vel in convertendis hominibus, ſive ad pœnitentiam concurrentibus. Vivebat autem, vergente jam ſenectute, nimis diſtrictè, videlicèt cum jam, & ipſi perfecti Viri ſolent remiſſiùs vivere, & aliquid ſibi de ſui propoſiti rigore laxare. Nam per unius quadrageſimæ ſpatium nihil uliud néque in cibo, néque in potu penitùs habuit, niſi de modica farina, & paucis herbis ſorbitiunculam faciens, ex ea ad imitationem Hilarionis vixit. Quinque verò hebdomadibus nihil aliud comedens, ad modicum ſe infuſi ciceris adſtrinxit. Et ita Romualdus per multa alia vivendi genera,

quid ſua virtus poſſet, per hæc & illa ſe jugitèr exercendo tentabat. Studebat quippè diſcretus Chriſti miles ad novum ſe certamen ſemper accingere, & cum jamjam cadere videretur, adhibita mox miſericordia, vacillans corpuſculum relevare. Duo autem, vel etiam tria quandóque habebat cilicia propter naſcentem corporis importunitatem, quæ lavari nullatenus permittebat, ſed ea potiùs ad imbrem projiciens poſt triginta dies mutare conſueverat. Novaculam autem nunquam in ſuum caput patiebatur aſcendere, ſed ipſe ſibi per raró ſolebat excrementa capillorum, & forcipibus attondere. Si quando veró eum ex aliquo eſculentiori cibo gulæ vitium titillaret, mox accuratè illum præparari præcipiens, ori, & naribus apponebat, & ſolum captans odorem, dicebat: *O gula! gula, quàm dulcis, quàm ſuavis modò tibi ſaperet iſte cibus, ſed væ! tibi ex eo nunquam guſtabis*: & ſic intactum ad cellarium remittebat.



CA-


53.
En caput ex,cruciat monachi vistanta dolorum,
Sæpe sibi ut cuperet mortis adeſse diem:
non fuit ulla potens medicina tuliſse Salutem,
nec Suspecta ulli causa doloris erat;
Divus at insidias Stygis eſse agnovit, et uno hinc
afflatu pulsa est, Styxq;, dolorq; Viri.

CAPUT LIII.

De miraculo, quo Gregorium insufflando ſanavit.

EN caput excruciat Monachi vis tanta dolorum,
Sæpè ſibi ut cuperet mortis adeſſe diem.
Non fuit ulla potens medicina tuliſſe ſalutem,
Nec ſuſpecta ulli cauſa doloris erat.
Divus at inſidias ſtygis eſſe agnovit, & uno hinc
Afflatu pulſa eſt, ſtyxque, dolórque Viri.

SEd quamquam Vir ſanctus tantam erga ſe ſervaret auſteritatem, ſemper tamen hilarem vultum, ſemper ſerenam faciem oſtendebat. Nam frater quidam, Gregorius nomine, graviſſimum capitis dolorem ſe perpeti aliquando conqueſtus eſt. Qui cum ad beati Viri cellulam, ubi alii fratres tunc erant cum nimia lamentatione veniſſet, mox ut eum Vir venerabilis vidit, hunc dolorem nequaquam humorum inæqualitati, ſed inſidiis antiqui hoſtis indubitantèr adſcripſit: & mox quaſi deridens eum, ut erat ſemper alacri vultu per feneſtram cellulæ ſibi inſufflavit in frontem,

& ut cæteri omnes, qui aderant, ſimilitèr facerent, innuit; hoc autem facto, ità ſanatus eſt, ut nullum penitùs ſentiret in ſuo capite doloris remanſiſſe veſtigium. Arbitror, quod idcircò Vir ſanctus hoc facere voluit, quia per Spiritum ſanctum, qui in ejus pectore præſidebat, effugandum eſſe iniquiſſimum hoſtem doloris immiſſorem credidit. Ad evitandam verò propriam laudem & ludum finxit, & ſocios quæſivit. Nam & Redemptor noſter inſufflaſſe legitur, cum Spiritum ſanctum Apoſtolis dediſſe perhibetur.
Joan. 20. *v.* 22.



CA-



Sic alium capitis Stolidum fecēre dolores,
mens ut tota Suis Sedibus acta foret.
desperato ergo, quidquid medicaminis artis est,
Spe magna Patris ducitur ante pedes;
Oscula vix Sancti miseris percepit abore,
mox Sua menti iterum est visa redire quies

CAPUT LIV.

De inſano, quem oſculo curavit.

SIc alium capitis ſtolidum fecêre dolores,
Mens ut tota ſuis ſedibus acta foret.
Deſperato ergò, quidquid medicaminis arti eſt,
Spe magna Patris ducitur antè pedes.
Oſcula vix Sancti miſer is percepit ab ore,
Mox ſua menti iterum eſt viſa redire quies.

VIr quidam capitis patiebatur inſaniam, ità, ut ſenſu rationis amiſſo, vel quid ageret, vel quid diceret, funditùs ignoraret. Huic Romualdus nihil aliud fecit, niſi ſolummodò oſculum præbuit, & protinus illum ad incolumitatem priſtinam revocavit: & cum inquieto homine, dum pacem fecit ad mentis eum ſuæ pacem reduxit. Referebat autem poſtmodùm ille, qui curatus fuerat, dicens: *Quia cum ſacra beati Viri labia tangere merui, ſtatim prodire ex ore ejus quaſi vehementis auræ ſpiritum ſenſi, qui totam faciem meam, & ipſum denique ſinciput perflans, omnem cerebri æſtuantis ardorem protinus effugavit.*





Discipulo (: capitis paucis his retrò diebus
Patre medente cui est, facta petita Salus:)
ulcere letheo nunc utraq; crura tumescunt,
ter Pater hæc gelidâ tergere mandat aquâ.
et videas! Naâmon quâ vulnera Sanat Eliseus,
hâc itidem Sanctus Vulnera Sanat ope.

CAPUT LV.

Item, de Gregorio, quem de gravi morbo aqua frigida liberavit.

DIſcipulo (capitis paucis his retrò diebus
Patre medente cui eſt, facta petita ſalus)
Ulcere letheo nunc utráque crura tumeſcunt,
Ter Pater hæc gelidâ tergere mandat aquâ.
Et videas! Nâamon quâ vulnera ſanat Eliſeûs,
Hac itidem Sanctus vulnera ſanat ope.

ALio quóque tempore idem, qui ſuprà, Gregorius, tam viroſam & marcidam tolerabat in cruribus ſcabiem, ut jam ex elephantiæ morbo crederet tam gravem prodire tumorem. Huic Romualdus hoc præcipuum medicinæ genus indixit, videlicèt, ut crura per tres dies frigida aqua perfunderet, promittens, quia hoc modo ſanitatem priſtinam recuperaret; quod tamen ille adimplere ſtuduit, nimirùm magìs neceſſitate juſſionis, quàm recipiendæ fi-

ducia ſoſpitatis. Mirum ſatis, & ſolùm Divinæ potentiæ referendum. Confeſtim tibiarum tumor deponitur. Virus omne ſiccatur, & penitùs omni languore depoſito frater ſanus per omnia redditur. Credi ergò rationabilitèr poteſt, quia eodem Spiritu Romualdus Diſcipulo, ut ter aquis tumentia crura perfunderet, juſſit, quo Eliſæus Naamon leproſum lavari ſepties in Jordane mandavit.

4. *Reg.* 5. *v.* 10.



CA-



Ex procul absenti discessum fratris eremo
/: ut sibi coniunctis sanguine ferret opem:/
en narrat cuidam: qui suo reo omnino reperta
euge Dei Vates est Romualdus ait.
Sed quidam indignans hæc Orco adscribit, at ipse
Numine tanta Patris Vindice probra luit.

CAPUT LVI.

De Diſcipulo, quem Romam euntem per Spiritum cognovit, & de illo, qui ſibi derogans recluſorium fregit.

Ex procul abſenti diſceſſum fratris eremo
(Ut ſibi conjunctis ſanguine ferret opem)
En narrat cûidam: qui ſic re omninò reperta
Eûge DEI vates eſt ROMUALDUS, ait.
Sed quidam indignans hæc orco adſcribit, at ipſe
Numine tanta Patris vindice probra luit.

NOnnulli tamen, carnales videlicèt homines, eum malitiosè reprehendere, & ejuſdem dicta vel facta non timebant levitatis vitio deputare. Quidam námque ejus Diſcipulus in alia procul eremo morabatur, qui propinquorum neceſſitati aliquando condeſcendens, pro eorum utilitate tandem velut invitus Romam ire quadrágeſimali tempore acquievit. Quod mox Vir ſanctus per ſpiritum recognoſcens, velut indignans ſcripſit aſtanti cuidam fratri, quòd videlicèt ille bonus Vir pro hujusmodi ne-

di negotio Romam ire præſumpſit. Ille autem admirans, unde hoc Magiſter agnoſceret, cum quo videlicèt nemo aliunde veniens, colloquium habuiſſet, rem ſollicitè perquiſivit, & ità eſſe, ſicut Vir venerabilis dixerat, comprobavit. Pergit ille ad alium ſuum Condiſcipulum videlicèt Ingelbertum, qui incluſus manebat, & Magiſtrum hæc dixiſſe, & ſine dubio prophetiæ Spiritum habere prorſus affirmat. Ille autem deteſtans, & penitùs denegans, fratrem corripuit, & quia hoc falſum eſſet, imprecationi ſe vinculis obligavit, dicens: *Si ille hoc per prophetiæ Spiritum, & non magìs per diabolum dixit, non me Omnipotens Deus in hoc recluſorio perſeverare permittat.* Dictum, factúmque eſt: nam vix paucis diebus tranſactis, Ingelbertus, fracto recluſorio, ſine Magiſtri licentia abiit, & eum in hac vita, ſicut dicitur, nunquam ulteriùs vidit.



CA-

57.



Frater, ubi sibi non Sancto prohibente liceret,
quæ petyt, Claustri sat male tecta fugit.
paulò post obÿt, cuidam sibi limina cœli
clausa refert pro se Patre inhibente preces;
quas ut jussa dedit fieri Romualdus, eidem
janua clausa prius mox reserata fuit.

CAPUT LVII.

De Gaudentio & Berardo, & Monacho sanato.

FRater, ubi sibi non Sancto prohibente liceret,
Quæ petiit, Claustri sat malè tecta fugit.
Paulò pòst obiit, cûidam sibi limina cœli
Clausa refert, pro se Patre inhibente preces.
Quas ut jussa dedit fieri Romualdus, eidem
Janua clausa priùs mox reserata fuit.

ALius frater Gaudentius nomine, Abbatis videlicèt hujus Monasterii sancti Vincentii Pater, cum magno fervore conversus, ardentiori postmodùm Spiritu in Dei est servitio conversatus. Hic aliquando à beato Romualdo licentiam petiit, quia vellet cuncta jam pulmenta dimittere, & pane cum aqua contentus, pomis quóque, sive crudis oleribus victitare. Hoc igitùr impetrato, cum in eodem proposito infatigabilitèr permaneret. Tedaldus quidam alius frater infirmitati illius indiscretè compatiens, adire Magistrum studuit, & quia frater ille tam grave pondus portare non posset, & hanc ejus obstinationem frangi omninò debere, suggessit. Romualdus autem

autem, ut puta, Vir ſimplicis animi, Tedaldi verbis aſſenſum dedit, & Gaudentio talis vitæ licentiam abſtulit. Ille verò graviter ferens, nequaquam ampliùs cum Tedaldo in eremo, in qua eos Romualdus poſuerat, paſſus eſt habitare: Sed Ingelberto, qui à Romualdo disjunctus fuerat, ſe ſubdidit, & ab eo conſenſum prædictæ converſationis accepit. Hic itáque Gaudentius non multô poſt tempore defunctus eſt, & in cœmeterio beati Vincentii juxta corpus Berardi venerabilis Viri, qui æquè Romualdi Diſcipulus fuerat, eſt ſepultus: Romualdus autem, quia ille in prævaricatione inobedientiæ vitam finierat, orationem pro eo fieri penitùs interdixit. Aliquanto autem poſt tempore Monachus quidam prædicti Cœnobii dum matutinum Synaxim cum reliquis fratribus celebraret, repentè tam acrem dolorem ſentire in dentibus cœpit, ut jam in choro ad pſallendum ſtare omninò non poſſet. Qui protinus exiens ſuper ſepulchrum ſe Berardi, atque Gaudentii lamentando jactavit, & medelam ſibi per eos provenire ſperans, medium ſe inter utrúmque conſtituit: Dúmque ibi aliquamdiu jacens oraret, mox eum ſomnus oppreſſit. Illicò ſanè videt Berardum ſacerdotalibus ornamentis ſplendidiſſimè decoratum, tenentem in manibus librum aureis litteris ſcri-

ſcriptum, ante Altare ſcilicèt ſtantem, & Miſſarum Solemnia celebrantem. At cernit Gaudentium mœrentem, triſtem, demiſſo vultu, poſt tergum Berardi procul aſſiſtere, & velut excommunicatum Sacris appropinquare myſteriis non audere. Qui mox locutus eſt ei, dicens: *Vides*, inquit, *frater, illum Berardi librum mirabilitèr deauratum? Ego quóque per omnia talem nunc haberem, niſi illum mihi, heu, heu, Tedaldus Monachus abſtuliſſet.* Statímque frater evigilans, ſanus, & incolumis, fugato omni dolore, ſurrexit. Deinde lætus viſionem ſuam fratribus per ordinem retulit. Quod Romualdus audiens, illico præcepit fratribus, ut jam Gaudentio fraternam charitatem impenderent, átque pro eo enixiùs orarent. Unde non ſine ratione colligitur, quòd ille, qui privatus ſocietate Romualdi, librum, quem meruerat, perdidit, jam ejus gratiæ reſtitutus, & orationibus ſublevatus, eundem librum recuperare meruit: & quem Tedaldus non niſi per Romualdum abſtulerat, jam Romualdus orando pro illo cum omnibus ſimul fratribus reddat.



CA-

58.



En faciens Romualdus iter (: quò nescio:) Curam
fratrum uni Cellæ mandat habere Suæ;
hic, sed præsumit pulsa formidine noctu
in lecto Sancti decubuisse Viri;
ipse Sed hunc monachi dæmon tulit ægrius ausum,
dum multo ipsius Verbere terga quatit.

CAPUT LVIII.

De diſcipulo in lecto ſancti Romualdi à dæmonibus verberato.

EN faciens peregrè Romualdus itinera curam
Fratrum uni cellæ mandat habere ſuæ.
Hic ſed præſumit pulsâ formidine noctu
In lecto ſancti decubuiſſe Viri.
Ipſe ſed hunc Monachi dæmon tulit ægriùs auſum,
Dum multo ipſius verbere terga quatit.

ALiquando Vir venerabilis cujuſdam causâ neceſſitatis in viam ire diſponens, uni diſcipulorum cellam commiſit, & uſque ad ſuum reditum in ea illum manere præcepit. Ille verò temerarius dum debiti honoris reverentiam Magiſtro non ſervat, audactèr in ejus ſtratu jacere non dubitat. Eccè autem in ipſa nocte maligni Spiritus ſuper eum immanitèr irruunt, graviſſimis eum verberibus atterunt, & projectum de lecto pænè ſeminecem derelinquunt. Meritò námque tam ſuperbos ſuæ offenſionis ultores pertulit, qui in talem virum poſtpoſita humilitate peccavit: &

 dum

dum pio Magiſtro non exhibuit reverentiam, ex duris & impiis ſenſit manibus diſciplinam. Similitèr quóque poſtmodùm venerabilis Vir iter acturus, alium in eadem cella diſcipulum dereliquit. Cui cùm diſcipulus diceret. *Magiſter, ego in lecto tuo non jaceo: quia, quod alii contigit, mihi etiam conſequentèr evenire formido.* Ille reſpondit: *Fili mi! jace, & dormi ſecurus; ille enim in eo recubans, idcircò in manus inimicorum incidit, quia parvitatis meæ licentiam non accepit, tu autem accepto conſenſu in Deo ſpem pone, & ſine pavore quieſce.* Qui videlicèt in eo, ſicut juſſus fuerat, jacuit, & nullius omninò caſum adverſitatis incurrit.



CA-





Esse Sequax statuit Romualdi Arduinus, at uxor
illius in Sanctum jurgia mille jacit;
mox facta insana est, Stygio exagitata furore
Omnem conatur vertere Stulta domum:
mica Sed à Sancto panis benedicta Serenat
mentem, hinc destiterat vota negare viro.





fLVXas HenrICI DIVVs per VenIt In aVLas
Vespere nIL Verò hoC VoCIferatVs eI est.
Henricus profert Romualdo amplexibus hærens:
Vestro optarem animam corpori inesse meam.
facto pulchra die vitæ documenta relinquens
Regi, claustro uno ditior inde abÿt.

Spectat ad Fol: 173.

CAPUT LIX.

De Muliere in amentiam versa, & sancti Romualdi benedictione sanata.

ESse sequax statuit Romualdi Ardûinus, at Uxor
Illius in sanctum jurgia mille jacit.
Mox facta insana est, stygio exagitata furore
Omnem conatur vertere stulta domum.
Mica sed à Sancto panis benedicta serenat
Mentem, hinc destiterat vota negare viro.

SÆcularis quidam vir, Arduinus nomine, Romualdo se ad suscipiendum sanctæ conversationis habitum tradidit: deinde domum, ut sua quæque disponeret, remeavit. Cúmque eum uxor sua venientem vidisset, fœmineo nimirùm furore succensa, exclamavit adversùs eum dicens: *Sic bone Vir, ab hæretico illo, & antiquo seductore nunc venis, & me miseram & destitutam omni humano solatio derelinquis?* & hoc dicto, protinùs in amentiam vertitur; & ita furere, & conquassari cœpit, ac si patentèr à dæmonio vexaretur. Habebat autem Vir sanctus hujusmodi consuetudinem, ut si quando fratres in viam dirigeret, benedictionem illis, sive panem, sive pomum, seu quodcúnque aliud daret. Unde discipuli, ut

experti multoties fuerant, certum tenebant, quod si ex benedictione Magistri cuilibet ægroto porrigerent, ad salutem illum incolumen revocarent. Nam & ex aqua, unde manus ejus abluebantur, plures languidi sæpè restituti sunt sanitati. Quod tamen cautissimè oportebat fieri, nè, si Vir sanctus hoc aliquatenus deprehnderet, in gravissimam tristitiam deveniret. Cúm igitur diu jam fœmina miserabilitèr vexaretur, quidam fratres, qui aderant, de benedictione panis, quam à Magistro susceperant, ei particulam tradiderunt. Deinde cum hoc mulier comedisset, mox mente sedata, ab omni redditur insaniæ furore liberrima. Quæ protinùs Omnipotenti Deo, & Romualdo famulo ejus recuperatæ sanitatis gratias retulit, & Viro suo conversionis licentiam ulteriùs non negavit.



CA-



tempore post alio Sancto adduxere puellum,
Cui misero dæmon tetricus hospes erat;
quem talem in morbum medicinam comperit ante,
panem, ut edat, puero porrigit ille Sacrum
heu! vix in Stomachum est trajectus, protinus hosti
Omnibus ex illo visus abire fuit.

CAPUT LX.

De dæmoniaco ab eo curato.

TEmpore pòst alio Sancto adduxêre puellum,
Cûi misero dæmon tetricus hospes erat.
Quem talem in morbum medicinam comperit antè,
Panem, ut edat, puero porrigit ille sacrum.
Heû vix in stomachum est trajectus, protinùs hostis
Omnibus ex illo visus abire fuit.

ALio quóque tempore puer quidam dæmoniacus ad beatum Virum delatus est; Cui ille nihil aliud fecit, nisi pro benedictione sibi panis particulam tradidit. Qua mox puer ille refectus, confestim est à dæmonio liberatus. Jure quippe postquam benedictio Romualdi malè possessum corpus intravit, inde confestim malignus Spiritus cautheriatus exivit.



61.



Sit licet à Divo toties Superatus avernus,
non tamen ulla timet, quin nova bella movet;
nam quondam Solo vitam meditante Supernam
vi non Credibili tunc furiosus adest;
Sed mediante Deo, dum Se Se cernit inermem
transfisso muro fugit in auram abiens.

CAPUT LXI.

De diabolo, qui ſancto Romualdo mortem minatus, cellæ parietem fregit.

SIt licèt à Divo toties ſuperatus avernus,
Non tamen ulla timet, quin nova bella movet.
Nam quondam ſolo vitam meditante ſupernam,
Vi non credibili tunc furioſus adeſt.
Sed mediante Deo, dum ſe ſe cernit inermem,
Transfiſſo murô fugit in auram abiens.

NUnquam tamen diabolus à ſancti Viri poterat impugnatione quieſcere. Et quia occulta jam adversùs eum fraude nil poterat, non ceſſabat virus ſuæ malitiæ viſibilitèr demonſtrare. Aliquando námque Vir venerabilis dum in cella conſiſteret, eccè malignus Spiritus, ut eſt revera teterrimus, hiſpidus, horribilis, immenſum cœpit ſancto Viro terrorem incutere, & cum nimio furoris impetu mortem ſibi minitans intentare. Cúmque Romualdus auxilium de cœlo imperterritus quæreret, & ut ſibi

Chriſtus ſuccurreret, fiducialitèr exclamaret, mox antiquus hoſtis aufugiens, ipſum cellæ parietem tanto iracundiæ felle percuſſit, quod gravem fagi tabulam unius cubiti ſpatio, vel eo ampliùs fidit. In habitaculo igitur patentèr oſtendit, quanta adversùs habitatorem flamma crudelitatis exarſit, & quodammodo ſcriptum reliquit in pariete, quod occultum gerebat in mente.





62.



Horrisonis Stygius latratibus ecce molossus
|: Spiritus ex cujus flammeus ore micat :|
irruit in Sanctum reliquò cum fratre equitantem
ut præceps timido sic ageretur equo
format at ille crucem, toties quâ vicerat hostem
amplius et non est visa vel umbra canis.

CAPUT LXII.

Item, de diabolo, qui exterrens equum, ſanctum Romualdum mergere voluit.

HOrriſonis ſtygius latratibus eccè moloſſus,
(Spiritus ex cujus flammeus ore micat)
Irruit in Sanctum reliquo cum fratre equitantem,
Ut præceps timido ſic ageretur equo.
Format at ille crucem, toties quâ vicerat hoſtem,
Ampliùs & non eſt viſa vel umbra canis.

ALiquando etiam dum venerabilis Vir cum ſuis diſcipulis equitaret, eccè malignus Spiritus rubei canis effigiem ſimulans cum magno impetu obviam irruit, & equum, cui inſidebat, ita ut pænè Vir ſanctus mergeretur, exterruit. Interrogati diſcipuli, ſi eum vidiſſent; exhorreſcentem quidem equum conſpexiſſe ſe aſſerunt, ſed nil tale eis apparuiſſe teſtantur. Ille verò ait: *Miſer ille, qui olim præclarus Angelus fuiſſe cognoſcitur, nunc ſe in immundi ſpecie canis oſtendere non veretur.*





An sit Virginibus facienda domuncula Sacris
Consilio frater cunctus adesse volat.
hinc bona quæ veniunt ditis cum nota Ministro
sint, ea permultis præpedÿsse studet;
Cassa sed ut tandem molimina viderat, eius
omnibus horribilis planctus in aure sonat.

CAPUT LXIII.

Item, de diabolo, qui orta inter discipulos sancti Romualdi discordia, vegetem percutiebat.

AN sit Virginibus facienda domuncula sacris
Consilio frater cunctus adesse volat.
Hinc bona quæ veniunt ditis cum nota legato
Sint, ea permultis præpediisse studet;
Cassa sed ùt tandem molimina viderat, ejus
Omnibus horribilis planctus in aure sonat.

RUrsùs alio tempore cùm Monasterium ancillarum Dei, quod est in Valle bona, construere decrevisset, discordia mox inter sancti Viri discipulos oritur, quia videlicèt alii nolunt, alii verò, ut fieret vehementèr insistunt. Cúmque ante venerabilem Virum utræque dissidentium partes diversa utentes allegatione contenderent, cœpit diabolus ante portellam cellæ quasi malleo vegetem sine cessatione percutere, & per roboantem sylvam crebris audiebatur tunsionum ictibus intonare. Deinde cum jam omnes unanimitèr Monasterium fieri concordassent, eccè malignus Spiritus, cunctis audientibus ululare, plorare, & flebiles non cessabat voces emittere. Postremò autem, cum jam divisi ad suum quísque reverteretur hospitium, prosequebatur eos antiquus hostis

hostis cum tanta tempestate & turbine, ut quasi omnia ventorum genera comovens, totam sylvam radicitùs evellere putaretur. Quidam verò fratrum increpans eum dixit: *Præcipio tibi in nomine Sanctæ Trinitatis immunde Spiritus, ùt desinas venire post nos*; & ita fugatus est. Jure quippe auctor discordiæ, composita pace, compulsus est infletum prorumpere, qui priùs audiebatur crescente rixa gaudere; & qui tunc quasi circulum vacui vasis abstrahere, & partes, quibus compactum fuerat, dissipare tentavit, constrictis jam in vinculo pacis, & charitatis compage discipulis, tristis abscessit.





Nescio, vel Nitriæ, Sitriæ vel nomine dicam,
quem tu cum Socijs incolis Alme locum?
tanta fuit tua vita Pater! pia vita tuorum;
pastorum inde cohors æmula ut ipsa foret;
fit vigil, atq; Silens, orans, jejuna, colensq;
Numen, et in dubium talia nonne vocent?

CAPUT LXIV.

De districta vita, quæ tunc in Sytria ducebatur.

NEscio vel Nitriæ, Sitriæ vel nomine dicam,
Quem tu cum sociis incolis Alme locum?
Tanta fuit tua vita Pater! pia vita tuorum,
Pastorum inde cohors æmula ut ipsa foret;
Fit vigil, átque silens, orans, jejuna, coléNsque
Numen, & in dubium talia nonne vocent?

TAlitèr autem in Sytria vivebatur, ac si ex similitudine, non solùm nominis sed etiam operis, altera denuò Nitria videretur, omnes siquidem nudis pedibus incedentes, omnes inculti, pallidi, & nimia omnium rerum extremitate contenti. Nonnulli verò damnatis januîs clausi, ita mortui videbantur mundo, velut in sepulchro jam positi; Vinum ibi nemo noverat, nec si etiam gravissimam quisquis ægritudinem pateretur. Sed cur ego de Monachis loquor, cum & ipsi Monachorum famuli, ipsi quóque custodes pecorum jejunarent, silentiúm tenerent, disciplinas inter se invicem face-

facerent, & de quibuslibet verbis pœnitentiam flagitarent? O aureum Romualdi ſæculum, quod etſi tormenta perſecutorum non noverat, ſpontaneo tamen martyrio non carebat, aureum, inquam, ſæculum, quod inter montium & Sylvarum feras tot cœleſtis Hieruſalem cives alebat. Cum verò ibi fratres jam tanti eſſent, ut omnes illic habitare vix poſſent, tunc Romualdus, Monaſterio ibi conſtructo, & Abbate præpoſito, inviolatum ſervans ſilentium, Bifurcum ſeceſſit ad habitandum. Illic etiam volens Abbatem ſpiritualitèr vivere, & rectitudinis vitam tenere, multam ab eo paſſus eſt perſecutionis injuriam.



Icone sequ: Cap: vide fol. 161.

CA-

Imago fol. 161.

CAPUT LXV.

De prophetia ſancti Romualdi, & colloquio ejus cum Henrico Rege.

FLVXas HenrICI DIVVs perVenIt In aVLas,
Veſpere nIL Verò hoC VoCIferatVs eI eſt.
Henricus profert Romualdo amplexibus hærens:
Veſtro optarem animam corpori ineſſe meam.
Facto pulchra die vitæ documenta relinquens
Regi, clauſtrô uno ditior inde abiit.

INtereà Imperator Henricus de ultramontanis partibus in Italiam veniens, miſit beato Viro deprecatoriam legationem, ut ad eum venire dignaretur, promittens ſe facturum quæcúnque præciperet, ſi ſuum ei colloquium non negaret. Cúmque venerabilis Vir prorsùs abnueret ſilentium frangere, cœperunt omnes diſcipuli unanimitèr illum obſecrare, dicentes: *Magiſter, vides, quia nos, qui te ſequimur, tanti jam ſumus, quòd hìc congruentèr habitare non poſſumus;*
Vade

Vade ergò, si placet, & Imperatori magnum aliquod Monasterium quære, & multitudinem te sequentium ibi constitue. Quibus Vir sanctus, nescio, si accepta jam revelatione, aut subita Dei inspiratione fidentèr scripsit: *Scitote, quia Montis Amiuti Monasterium ex dono Regis habebitis; considerate tantummodò, quem illic Abbatem constituere debeatis.* Igitur inviolato silentiô perrexit ad Regem. Cui Rex protinùs assurgens, ex magno cordis affectu in hanc vocem erupit, dicens: *O utinam anima mea esset in corpore tuo!* Quem mox, ut loqueretur, supplicitèr obsecrans, ipso die hoc impetrare non potuit.

Postera autem die, Romualdo ad palatium veniente, ecce Teutonicorum multitudo certatim hinc inde concurrunt, capita salutantes humilitèr flectunt, villos quóque pelliceæ vestis, qua erat indutus, anxiè decerpentes pro sacris reliquiis in Patriam portaturi, studiosè recondunt. Quæ videlicèt res venerabilem Virum tanto mœrore dejecit, ut nisi discipulis obstantibus acquiesceret, ad cellam protinùs repedaret. Ingressus igitur ad Regem non pauca sibi locutus de restituendo jure Ecclesiarum, de violentia potentum, de oppressione pauperum: & post multa, unum sibi pro suis discipulis Monasterium petiit.

Cui

Cui poſtmodùm Rex Montis Amiati Monaſterium tradidit, & Abbatem, quia multis erat malis obnoxius foras ejecit. Ubi Vir ſanctus quanta adverſa perpeſſus ſit, non ſolùm ab eo, qui ejectus fuerat, ſed etiam ab illo, quem ipſe ex ſuis diſcipulis Abbatem conſtituerat, ille quidem perferre patientiſſimè potuit; nos referre, etiam ſi adeſſet facundia non valemus. Sed qualitèr illum Deus in cunctis adjuverit, uno exemplo monſtrare ſufficiat, ut prudenti cuilibet, quid etiam in reliquis evenerit, innoteſcat.





nulla est in iustos, Sathanæq, malisq potestas,
imo hi sæpè illo vindice facta luſunt
contigit haud aliter monacho male mente gerenti
quâ Patrem e medio tollere morte queat,
nam vice conversâ îs peryßet colla ligante
dæmone, Sanctus ubi ferre negâßet opem.

CAPUT LXVI.

De Monacho, quem diabolus ſtrangulare cœpit, ſed ſanctus Romualdus eripuit.

Nulla eſt in juſtos, Sathanæque, malisque poteſtas,
Imò hi ſæpè illô vindice facta luunt.
Contigit haud alitèr Monacho malè mente gerenti,
Qua Patrem è medio tollere morte queat.
Nam vice conversâ is periiſſet colla ligante
Dæmone, Sanctus ubi ferre negâſſet opem.

Monachus quidam veſano adversùs eum furore ſuccenſus, pilum latentèr exacuit, & eum reponens, ùt beatum Virum interficeret, exspectare congrui occaſionem temporis cœpit. Nocte verò dum depreſſus ſopore quieſceret, eccè videt malignum Spiritum in ſe immanitèr irruentem, qui retortam in collum ejus mittens, tanta ferocitate conabatur guttur ejus aſtringere, ut jam ille cogeretur funditùs expirare. Tunc Monachus in extremo jam ſpiritu poſitus, Romualdum, ut

 ſibi

ſibi ſuccurreret, obſecravit. Qui, ut Monacho videbatur, protinùs advolans, de manibus eum iniqui hoſtis eripuit. Hic igitur mox experrectus, ad pedes venerabilis Viri proſtratus advolvitur; ut alliſionem cervicis aſpiciat, deprecatur; confiteri etiam crimen ſuæ malitiæ non veretur. Poſtremò conſervatæ vitæ ſibi gratias retulit, & pœnitentiam tanti reatus accepit. Et ità qui Romualdo vitam inſidiatur eripere, jam per eundem ſanctiſſimum Virum, & ſuam meruit conſervare, & cui inferre mortem ſtuduit, per eum ſuæ periculum mortis evaſit.



CA-




67.
quem pro condenda reperit Romualdus eremo,
iste repentino clauditur imbre locus;
Sint animo, esurie fratres iam iam perituros
excitat, et Spondet proxime adesse dapes;
Sponsa en eveniunt, dum pane, meroq refertos
corbes non noti tres posuere viri.

CAPUT LXVII.

De ſancto Romualdo, qui circumcluſus aquis, cibum ſibi deferendum cœlitùs agnovit.

Quem pro condendâ reperit Romualdus eremo,
 Iſte repentino clauditur imbre locus.
Sint animo, eſurie fratres jam jam perituros
 Excitat, & ſpondet proximè adeſſe dapes.
Sponſa, en! eveniunt, dum pane, meróque refertos
 Corbes non noti tres poſuêre viri.

HAbebat autem Sanctus conſuetudinem, cum Monaſterium teneret, ut niſi cum jejunaret, ad communem menſam cum fratribus quotidiè veniens, unum quidem pulmentum comederet, poſtmodùm verò lectioni, vel quid etiam apud unumquémque ageretur, intentus, de reliquis non guſtaret. Quadrageſimali verò tempore niſi neceſſitate inevitabili cogeretur, in cellula jugitèr morabatur. Dum igitur prædictum Cœnobium Vir beatiſſimus regeret, quadrageſimali jam propinquante jejunio, quærebat cum diſcipulis per vicina montium loca, ubi eremum facere potuiſſet. Dúmque longas in quærendo moras protraherent, repentè aquis undíque circumfluentibus ità concluſi ſunt, ut nec ipſi jam redire, nec de Monaſterio quis-

quam ad eos poſſet aliquatenus tranſvadare. Vivebant autem ex aliquantis caſtaneis, quas ſecum detulerant. Cúmque dies dominicus adveniſſet, & alia cibi ſpes nulla jam ſupereſſet, cœperunt fratres pauculas, quæ remanſerant, caſtaneas deglovere, & jam quodammodò dubitantes ultimum ex eis convivium præparare. Romualdus autem, ut erat ſemper alacri vultu, fidentèr ait: *Quia niſi Deus ſibi panem per aliquem mitteret, ipſo die nullatenus manducaret.* Diſcipuli verò mirantes inter ſe, in qua ſpe hoc ille præſumeret, certi tamen, quia Magiſter incautè aliquid vovere non poſſet, cibum jam tantæ ſolemnitati congruum cœperunt fiducialitèr expectare. Sexta igitur diei hora jam propinquante, ecce tres viri onuſti pane, & vino, & aliis cibis adveniunt, qui ſe de longinquis partibus cum multo labore perveniſſe dicunt. Tunc itáque ſpitituali omnes repleti gaudio, benedicentes Deum, paritèr cibum ſumunt: & beatum Virum per revelationem hoc cœlitùs agnoviſſe, indubitantèr agnoſcunt.



CA-



facta Semel veniente Patre est turba anxia fratrum,
unde parent Sancto fercula digna viro:
Confidit meritis Romualdi, et flumina tentat,
flumina, queis nullo tempore piscis erat;
Vix virgam frater fluvy proiecit in alveum;
iam Sua mox hamo pendula præda fuit.

CAPUT LXVIII.

De pisce, qui inventus est in arenti rivo meritis S. Romualdi.

FActa semel veniente Patre est turba anxia fratrum,
Unde parent Sancto fercula digna Viro?
Confidit meritis Romualdi, & flumina tentat,
Flumina, queîs nullo tempore piscis erat.
Vix virgam frater fluvii projecit in alveûm.
Jam sua mox hamo pendula præda fuit.

QUodam tempore venit Vir venerabilis Sytriam, qui, cum adhuc jejunus esset, & fratres utpotè in arduis montibus piscem, quem ei ad comedendum apponerent, non haberent, cœperunt inter se quodammodo confusi erubescere, & quid pro tam venerabili hospite acquirere potuissent, anxiè cogitare. Tunc frater quidam, puto, divinitùs inspiratus, ad siccum pænè rivum; qui juxta præterfluebat, cum festinatione cucurrit: ubi nimirum & aquæ exiguum erat, piscis verò illic visus nunquam penitus fuerat. Cœpit itáque frater Deum devo-

devotè depoſcere, ut qui Iſraelitico populo aquam potuit ex arida petra producere * ipſe ſibi dignaretur piſcem in arenti rivulo demonſtrare. Confeſtim igitur, miſſa manu in exigua aqua piſcem reperit, qui beato Viro ad refectionem abundantèr ſufficere potuit. Deo ſcilicèt ſervo ſuo providente convivium, inventum eſt in ſaxoſo, & arido monte, velut in piſcoſa valle, vivarium. Sed quia de vita beati Viri hæc, quæ nimirùm pauca de multis dicta ſunt, ſufficere credimus, jam ad tranſitum veniamus.

* *Num. 20. verſ. 11.*



CA-



Mortis adesse Suæ Romualdus tempora cernens
ad vallem Castri Se Statione locat
ut fieret multis retrò quod dixerat annis,
nempè ibi Se Vita claudere fine dies,
CLaVsIt, et est IpsI post DVros eCCe Labores
optata, ò toties! nVnC sIne fIne qVIes.

CAPUT LXIX.

De transitu sancti Romualdi.

MOrtis adesse suæ Romualdus tempora cernens
Ad Vallem Castri se statione locat.
Ut fieret multis retrò quod dixerat annis,
Nempè ibi se vitæ claudere fine dies.
CLaVsIt, & est IpsI post DVros eCCe Labores
Optata ô toties! nVnC sIne fIne qVIes.

VIr denique sanctus per multa alia habitavit loca, multa alia præcipuè à suis discipulis perpessus est mala, plura quóque per eum sunt facta miracula, quæ nos describere ideò prætermittimus: quia longioris styli prolixitatem vitamus. Post cuncta igitur habitationum suarum loca, cum jam finem suum imminere conspiceret, tandem ad Monasterium, quod in Valle de Castro construxerat, rediit, ibiq; propinquantem obitum indubitantèr expectans, cellam sibi cum oratorio ædificari, in qua recluderetur, & silentium úsque ad mortem servaret, instituit. Sanè viginti annis ante finem vitæ suæ, discipulis suis manifestè prædixerat: quia in prædicto Monasterio oporteret eum quiescere, nullóque astante, vel funeri exequias dependente, expediret eum Spiri-

 tum

tum exhalare. Facto itáque reclusario, cum mens ejus in eo esset, ut mox includi deberet, cœpit corpus ejus magis, magísque molestiis ingravescere, & deorsum jam velut non tam languore, quàm decrepiti longævitate senii declinare. Nam à medio ferè anno nimia sibi flegmatis abundantia cum ipso læsi pulmonis marcore defluxerat, & gravi eum tussis anhellatione vexabat. Non tamen propter hoc Vir Sanctus, vel lecto decumbere, vel in quantum possibile erat, soliti rigorem jejunii acquieverat relaxare. Quadam igitur die cœpit paulatim corporis virtute destitui, & ingruente molestia graviùs fatigari. Sole itáq; jam ad occasum vergente, præcepit duobus fratribus qui astabant, ut foras exirent, cellulæ post se januam clauderent: celebraturi verò sibi matutinos hymnos ad eum diluculo remearent. Cúmq; illi de ejus fine solliciti velut inviti exirent, non statim ad quiescendũ properant, sed nè Magistrum obire contingeret, anxii, pretiosi thesauri talentum propè cellulam latentes observant. Aliquandiu igitur commorantes, cum deinceps curiosis auribus attentiùs auscultarent, & néque motum corporis, néque sonum vocis audirent, jam quod evenerat, veracitèr opinantes, impulsa januâ velocitèr irruunt, lumen accendunt, & beata animâ in cœlum

rapta,

rapta, ſupinum jacere ſanctum cadaver inveniunt. Jacebat itáque velut neglecta tunc cœleſtis margarita, in ſummi poſtmodùm Regis ærarium honorificè reponenda. Nimirum, qui ſic obiit, ut prædixit, illuc tranſivit, quò ſperavit. Vixit autem Vir beatiſſimus centum viginti annis, ex quibus viginti expendit in ſæculo, tres duxit in Monaſterio, nonaginta ſeptem in eremitico tanſegit propoſito. Nunc igitur inter vivos cœleſtis Jeruſalem lapides ineffabilitèr rutilat, cum ignitis beatorum Spirituum turmis exultat, candidiſſima ſtola immortalitatis induitur, & ab ipſo Rege Regum vibrante in perpetuum diademate coronatur.



70.



In vitâ quantus fuerit Romualdus, abundè es
doctus, post mortem, nunc cape, quantus erat:
Obseßum in Divo Sacrum duxere Sacellum,
vestis ubi Sancti pars Sacra tenta fuit;
horrendis dæmon hinc clamat vocibus: hæc hæc
tartara me cogit mæsta subire, et abyt.

CAPUT LXX.

De dæmoniaco per particulam cilicii ejus ſanato.

IN vitâ quantus fuerit Romualdus, abundè es
Doctus, poſt mortem, nunc cape, quantus erat.
Obſeſſum in Divo ſacrum duxêre Sacellum,
Veſtis ubi Sancti pars ſacra tenta fuit.
Horrendis dæmon hinc clamat vocibus: hæc hæc
Tartara me cogit mæſta ſubire, & abiit.

POſt ſacratiſſimum autem Viri venerabilis obitum, quanta miraculorum ſigna per eum Deus oſtenderit, quis quæret tranſacta legere, cum frequentèr valeat, & nova videre? Quia igitur ea, quæ apud Sepulchrum ejus fiunt, miracula, tanta ſunt, ut meliùs putemus cuncta ſilentiô præterire, quàm pauca narrare; duo ſolummodò, quæ per eumdem beatiſſimum Confeſſorem alibi facta ſunt, ſufficiat nobis exponere. Denique frater quidam, qui Sancti Viri diſcipulus fuerat, parvam baſilicam pro anima ſua Monaſterio dederat, ad quam videlicèt baſilicam extremitatem manicæ præſciſſam ex beati Viri cilicio miſit, & ſub altari honorificè recondi præcepit. Quam tamen gerulus ſub altari, ſicut juſſus fuerat, collocare neglexit, ſed miſſam in rimam parietis incautè dereliquit. Factum eſt poſteà, ut dæmo-

dæmoniacus quidam ad prædictam duceretur Ecclesiam. Cùmque astans in medio huc, illúcque rotans caput cuncta undíque circumspiceret, tandem torvos oculos in ipsum parietem terribilitèr cœpit infigere, & intentus illuc, ubi sancti cilicii jacebat particula, crebris non cessabat vocibus exclamare: *Ille me ejicit, ille me ejicit*, & ità clamans protinùs ab eo expulsus est. Hinc ergò jure perpenditur, quid per semetipsum apud Divinam Clementiam impetrare non possit, ante cujus brevissimam vestimenti particulam demonstrare non potuit; & qui talia absens exhibet, quid per corporis præsentiam non exercet.



CA-

71.



Ecce Suæ rapuit Vicinæ fortè juvencam
Villicus, et denuo restituisse negat;
hæc gallinarum fert binos impigra pullos
ad tumulum Sancti conqueribunda Viri;
mirum! percutitur fur (: nescius unde :) Sagittâ
Sic prædando alÿs præda fit ipse necis.

CAPUT LXXI.

De Villico, qui vaccam rapuit, & ſtatim extinctus eſt.

ECce ſuæ rapuit vicinæ fortè juvencam
 Villicus, & denuò reſtituiſſe negat.
Hæc gallinarum fert binos impigra pullos
 Ad tumulum ſancti conquerібunda Viri.
Mirum! percutitur fur (neſcius unde) ſagittâ:
 Sic prædando aliis, præda fit ipſe necis.

ALio quóque tempore Caſtaldius quidam pauperculæ mulieri vaccam violentèr abſtulit, & eam vociferantem, multísque precibus obſecrantem audire contempſit. Illa protinùs accurrens, duos gallinarum pullos ad Eccleſiam, quam ſupra memoravimus, detulit, & eos ſecum ante altare projiciens, hujuſmodi verbis clamare flebitèr cœpit: *Hem ſancte Romualde! exaudi miſeram, nè deſpicias deſolatam, & redde mihi gubernatricem meam injuſtè ſublatam.* Mira res, vix adhuc villicus cum ipſa rapina à domo mulieris abierat, & continuò emiſſione ſagittæ percuſſus, vaccam in eodem loco dimiſit, deinde domum perveniens, protinùs expiravit.



CA-

72.



fluxis quinq; annis venerabilis ossa Parentis
quæ caperet, capsa ut conficeretur, agunt
Sera at noCte seneX fratrI non CognItVs aDstans
Vrna/: aIt:/ hæC sanCtI non CapIt ossa VIrI.
dicta stupent, Sed mox tumulum reserando probantur
integer inventus nam Romualdus erat.



CAPUT LXXII.

De corpore S. Romualdi ſano poſt quinquennium invento.

FLuxis quinque annis venerabilis oſſa Parentis
Quæ caperet, capſa ut conficeretur agunt.
Sera at noCte ſeneX fratrI non CognItVs aDſtans,
Vrna (aIt) hæC ſanCtI non CapIt oſſa VIrI.
Dicta ſtupent, ſed mox tumulum reſerando probantur:
Integer inventus nam Romualdus erat.

POſt quinquennium verò à Sancti Viri obitu, data Monachis ab Apoſtolica Sede licentiâ, ut ſupra venerabile corpus ejus Altare conſtruerent. Azo quidam frater ſylvam petiit, quatenùs modicam capſam faceret, quæ ſancti Confeſſoris oſſa & pulverem tantummodò capere potuiſſet. Nocte igitur ſecuta, dormienti cuidam fratri, venerabilis quidam Senex apparuit, quem protinus interrogans, ait: *Ubi eſt hujus Monaſterii Prior?* Quod cum ille ſe ſcire negaret, illicò Senex addidit: *Pro fabricanda*, inquit, *capſa ire in ſylvam ſtuduit, ſed beati Viri corpus in tam exiguum vaſculum non intrabit.* Poſtera igitur die Prior compoſita capsâ, revertitur, & mox à fratre, qui viſionem viderat, quæ illum cauſa ad ſylvam invitâſſet, inquiritur. Quod cum ille velut labore defeſſus, dicere noluiſſet, illicò frater, & ſui cauſam iti-

neris retulit, & quod ipse viderat, exponendo per ordinem, non celavit. Defosso igitur tumulo, ita propemodùm totum sancti Viri corpus sanum, illibatúmque reperiunt, velut tunc fuerat, cùm sepulturæ illud primitùs tradiderunt, exceptô, quod tenuis quædam mucoris lanugo in quibusdam ejus membris excrevisse videbatur. Rejecta igitur modica capsâ, quæ facta fuerat, illicò vas aptum ad mensuram beati corporis præparant, & in eo sanctarum Reliquiarum patrocinia recondentes desuper Altare solemnitèr consecrant. Obiit autem Vir beatissimus Romualdus decimo tertio Kalendarum Juliarum regnante Domino nostro JESU Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit, & gloriatur per infinita sæcula sæculorum,

AMEN.



Quæ-



Quædam alia, quæ ad vitam sancti Romualdi spectant, ab eodem Divo Petro Damiani sparsim descripta.

Sancti Romualdi modestia, atque prudentia ex Tom. 1. Lib. 6. Epist. 26. pag. 288. A.

BEatus aliquando Romualdus rediens à Sybillæ Comitissæ colloquio, comitanti, fertur, callidè dixisse discipulo: *Quàm elegantis, ait, & venusti vultûs fœmina, nisi, proh dolor! unius oculi dispendio laboraret?* Cui discipulus: *Absit, Magister*, inquit, *sicut decora certè facies, ita quóque oculi, prout sagacitèr deprehendi nihilominus incolumes vigent.* Quem Magister acerrima protinùs animadversione corripiens, *Et quis te*, inquit, *in faciem fœminarum respicere docuit?* Tunc ille circumventum se esse respiciens, pœnitentiâ ductus, erubuit: & de cætero cautiorem se fore, obstinatissima pollicitatione devovit.

Sancti Romualdi consilium, ut sobrietatem servemus, & hypocrisim fugiamus. Ex eadem Epistola pag. 290. E.

NEc ineptus applices, quòd sæpè suis discipulis Vir Domini ROMUALDUS ajebat: *Fratres!* inquit, *cum in quorumlibet conventu reficitis, intentis ad cibum cæteris, in ipso refectionis initio parcite; & cum jam illis ex parte satisfactum fuerit, vos inchoate, quatenùs & hypocrisis notam possitis evadere, & sobrietatis regulam sine offensione servare.*



Ordo

Ordo persolvendi Psalterium pro vivis, à sancto Romualdo institutus. Ex Tom. 3. Opusc. 15. cap. 19. pag. 151. F.

PSalterium, quod est vivorum, cum illis dicitur additamentis, quæ beatus Romualdus apponit, quæ etiam nos non gravemur inserere; nè nos conqueratur fortè Novitius, quæ sibi magnopere noscenda sunt, præteriisse. Decursis planè quinque Psalmis, protinùs subinfertur: *Gloria tibi Trinitas, æqualis una Deitas, & ante omne sæculum, & nunc, & in perpetuum. Orate pro nobis omnes Sancti Dei, ut digni efficiamur promissionibus Domini Dei nostri JESU Christi. Pater noster.* His expletis mox subditur: *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.* Et evolutis aliis quinque Psalmis, tunc dicitur: *Te Deum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum sanctum Paracletum, sanctam & individuam Trinitatem, toto corde & ore confitemur, laudamus, atque benedicimus, tibi gloria in sæcula, Amen. Domine Deus in adjutorium meum intende. Domine ad adjuvandum me festina. Confundantur & revereantur inimici mei, qui quærunt animam meam. Adjutor meus, & liberator meus esto, Domine nè tardaveris.* Gloria Patri, *& Filio, & Spiritui sancto.* Quo finito rursùs dicitur:

tur: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.* Hæc igitur per quinquenos Pſalmos alternatim ſemper adduntur, donec Pſalterium cum tribus dominicalibus, nec non & totius hebdomadæ canticis expleatur. His etiam non neglectis, quæ in fine Pſalterii videntur adjecta, videlicèt, *Te Deum laudamus. Nunc dimittis Domine ſervum tuum*; duobus ſymbolis: *Gloria in excelſis Deo*; *Pater noſter*, *cum fide Catholica.* Poſtremò litaniæ cum orationibus hæc omnia conſueto fine concludunt.



San-

Sancti Romualdi disciplinæ discretio. Ex eod. Opusc. cap. 16. pag. 254. C.

NOs approbamus, quòd suis sæpè discipulis beatus Romualdus dixisse perhibetur: *Dummodò*, inquit, *frater quilibet cellam non deserat, etiam carnes permittatur ex discretione comedere, si tam inevitabilis videatur necessitas imminere.* Addebat insuper: *Tale enim propemodum est de Eremo ad Monasterium reverti, quale de monasteriali ordine ad sæculum asportari.* Unde necesse est, ut quicunque Eremiticæ præest Fraternitati, robur cujusque diligentèr examinet, & juxta virium facultatem necessaria subministret.

Paulò inferius D.

NAm & idem beatus Romualdus, ut sui consueverunt referre discipuli, sic æstivi temporis hebdomadas alternabat, ut unam quidem à Dominica in Dominicam in pane & aqua jejunando transigeret; alterius verò hebdomadæ pulmentum quinta feria manducaret.

FINIS PARTIS PRIMÆ.



B. Gherardesca. B. Ioanna Bapti sis. B. Lucia Bononiens. B. Mannus Conf. B. Romualdus Ro... B. Petrus Abb. B. Nicolaus Conf. B. Paula Florentina B. Margarita Convers.

B. Tomas de Costacciaro B. ... de Sennen sis. B. Iacobus Paenitentiarius B. Gregorius Archie... B. Ioannes Cardinalis B. Laurentius reclusus B. Paulus Conf. B. Nicolaus Germanus B. Agnes de Sarsina

B. Rodulphus ... B. ... B. Simon con Conf. B. Bartholomaeus alter B. Bartolus Conf. B. Bonus alter Conf. B. Casimerus Conf. B. Carus Conf. B. Ciprianus Conf. B. Dominicus Senensis B. Incognitus Conv. B. Eusebius Suessans

B. Bocompagn. Conf. B. Dominicus Wernagus B. Gherardus Conf. B. Hieronymus ... B. Guido glis B. Iacobus Ierius B. Iacobus de Certaldo B. Beregrinus Conf. B. Petrus de Sardinia B. Silvester Converso B. Petrus Teutonicus B. Petrus fanensis

B. Bartholomaeus Pisanus B. Antonius Peregrinus B. Albertus Senensis B. Angelus Teutonicus B. Cornelius reclusus B. Iacobus alter Conf. B. Ioa. Bapt. Lucensis B. Ioannes Conf. B. Guido Aretinus B. Martinus glis

B. Petrus alter B. Terezus Conf. B. Angelus de Massacio B. Bonus Pisanus B. Petrus de Bifurco B. Daniel oblatus B. Eusebius Hispanus

B. Gaudentius Conf. B. Gisius Conf. B. Benedictus Conf. B. Michael Inventor Coronae Dni. B. Guglielmus Conf. S. Paula Iustiniano fundat. Mo. Co. S. Anselmus Conf. B. Angelus Germ.

S. Guido Comes B. Albizus Conf. B. Ambrosius glis S. Gregorius IX. P. B. Gradonus Conf. B. Petrus Damianus Conf. B. Marinus Mgr. Romualdi B. Sergius Parens Romualdi

S. Vbertus Conf. S. Iustus Conf. S. Dominicus Loricat. Conf. S. Adelbertus Archi. Mar. B. Petrus Vrseolus Dux S. Albertus Conf. B. Azo Conf. B. Berardus Conf.

S. Rodulphus Glis. S. Parisius Conf. S. Hieronymus Apost. Lituaniae S. Casimirus Rex Polon. S. Rodulphus Epis. S. Gualfardus Conf. S. Albertinus Conf. S. Guilielmus Conf. S. Martinus glis


S. Barnabas Conf. S. Laurentius Mar. S. Xtinus M. S. Ioan Mart. S. Venerius Conf. S. Andreas Zerardus Co. S. Theobaldus Ab. S. Leonardus Conversus

S. Benedictus M. S. Bogumilus Archiep. S. Io. Gualbertus Conf. S. Matthaeus Mart. S. Io. laudis Epis.

S. Petr. Damianus S.R.E. Card. S. Bonifacius Archi. et Martir. SS. Romualdus Ravenas Camaldulen. Pater S. Paschasius Conf. S. Benedictus Mart. S. Isaac M. S. Athanasius Mart.

Ponam foedus meum inter me, et te, et multiplicabo te vehementer nimis.
Gene: 17. V. 2.

Post Sacratissimum autem Viri Venerabilis S: ROMVALDI obitum quanta miracula DEUS ostenderit, quis quæret transacta legere cum frequenter valeat et nova videre? Petr: Dam: in vita cap. 72.



PARS SECUNDA.

Compendiosa

DECLARATIO

TRANSLATIONIS

Sanctissimi Corporis

ROMUALDI.



AD BENEVOLUM LECTOREM.

NOveris, amice Lector, sequentia Capitula de Translatione sanctissimi Corporis beati Romualdi non esse calami Petri Damiani, (nam in Domino piissimè priùs obiit, antequàm hanc Translationem beatissimi Parentis sui Romualdi fieri contigit) sed in lingua Hispanica à R. P. Don Joanne Castagnizza Ordinis sancti Benedicti Monacho composita, dein verò per R. P. Don Timotheum da Bagna Monachum Camaldulensem in Italicam, ac demùm nunc à me fideliter in latinam translata, & disposita; ùt in sequentibus habes paginis

VALE.



CA-



i.

Omnibus est tumulus Romualdi factus Asylum,
ex quo Sanus abit, qui miser ante venit
hinc puer, hincq; Senex extollunt Carmine laudis
in Sancto Trinum magnificando Deum;
Sed mox Surrepit Romualdi Oblivio tanta,
ejus multo ut erat tempore nemo memor.





CAPUT I.

Quomodo cultus erga ſanctum Romualdum creverit, ac iterum decreverit.

OMnibus eſt tumulus Romualdi factus aſylum,
Ex quo ſanus abit, qui miſer ante venit.
Hinc puer, híncque ſenex extollunt carmine laudis
In Sancto Trinum magnificando DEUM:
Sed mox ſurrepit Romualdi oblivio tanta
Ejus multo ut erat tempore nemo memor.

POſtquàm ſanctiſſimo Romualdi Corpori de publico Sedis Apoſtolicæ indulto Altare fuiſſet conſecratum, quatenùs ſic in gloria & honore à fidelibus haberetur etiam in terrís, cujus Beata anima ſuper opera manuum ſuarum ab Altiſſimo jam eſſet conſtituta in Cœlis, tanta, in Sanctum cœperat populi Devotio, ut nulla jam mentis anguſtia, nulla corporis eſſet afflictio, quæ, ab eo per firmam fiduciam non quæreretur ſublevari, & ubi nullum humanum ſupererat remedium, ibi poſtularetur potens Romualdi interceſſio, & quidem non invanum: fidelitèr enim omnibus omnia factus, quid valeret, quidque poſſet Divina in ſe diſpenſatione ubertim oſtendebat,

bat, infirmis priſtina dandô lætari ſanitate, afflictis & corde mœſtis jucundam reddendo hilaritatem & animi lætitiam, malignis Spiritibus infeſtatis omnimodam tribuendo liberationem; Sed quemadmodum nihil in hoc Sæculo diu durare conſpicitur, cum omnia viciſſitudini cernantur ſubjecta: præſertim cor hominum; quod omni citiús ex arbore pendente folio quovis minimo etiam levitatis ventô movetur, ita haud ſecùs iſta florens in Divum Devotio & ardens honorandi fervor evaneſcebat, quin immo vix non penitùs tradebatur oblivioni. Nihilominùs quidam quomodocúnque majori plebis parte (ingratorum more) infrigeſcente ſuo laudabilitèr incæpto firmi ac conſtantes perſtiterunt; procul dubio prioribus ſtygio & Romualdi (ſicut in vita, ita poſt ejus tranſitum) hoſte ſemper infeſtiſſimo incitatis - poſterioribus verò Dei ſingulari providentiâ & diſpoſitione ad perſeverandum in amoris erga Romualdum teneritudine animatis, ut ſuperbi Acharontis principis pro ſui ipſius confuſione redderetur niſus & conatus invalidus, Romualdi autem pro Dei gloria veneratio non modo non iminueretur, ſed mirum in modum aucta cerneretur & ampliata.

CA-



Hinc sic inculti quatuor per secula Sancti
Spargitur ex castro corpus abesse sacrum
Quo motus reliquis frater vehementius unus
rem sit ut expertus, tale quid ausus erat
SoLLICIto penetrat geLIDI Cor faLCe sepVLChrI
heV patet! et saCer est Integer eCCe parens

CAPUT II.

Quomodo corpus ſancti Romualdi incorruptum inveniatur.

HInc ſic inculti quatuor per ſecula Sancti
Spargitur ex Caſtro corpus abeſſe ſacrum;
Quô motus reliquis frater vehementiùs unus
Rem ſit ut expertus, tale quid auſus erat:
soLLICIto penetrat geLIDI Cor faLCe ſepVLChrI:
HeV patet! & ſaCer eſt Integer eCCe parens.

EX eo, quod tot, tamquè frequentia miracula fieri ampliùs non viderentur ad ſanctiſſimi Patris ſepulturam (ſuper quo minimè fuiſſet mirandum, cùm nemine pulſante non aperiatur, & petente nullo dari non ſoleat) ſpargebatur paſſim Sancti Corpus in Valle de Caſtro non amplius quieſcere, ſed Deo ſuis ex ſecretis judiciis permitente ſublatum, & alium in locum, ubi majori in honore haberetur, eſſe tranſportatum; hac vulgi (dæmone ſpargente) opinione non levitèr tangebantur Vallis de Caſtro incolæ, inconſolabilique invadebantur triſtitiâ, ſed qui ſuos optimè novit conſolari, Deus, eorum quóque ſciebat abſtergere triſtiæ lachrimas, & nubila mutare in ſerenitatem; quidam enim prædictæ Vallis Religioſus præ reliquis triſtem hunc populi ſenſum vehementiùs ſibi cordi ſummebat,

mebat, hinc ſecum concludit experiri velle, ſi ita eſſet, ùt dicitur, Corpus nè ſui Parentis ſublatum ſit, an ſecus? quare nocte quadam intempeſta (Anno Dñi 1466. primo Decembris) cæteris confratribus è choro diſcedentibus unus ille in Eccleſia remanet, & dum credit omnes alto jam ſopore oppreſſos, séque ſecuriùs ſuum adimplere intentum poſſe, ſepulchrum Divi effodere cœpit, & multis poſt laboribns loculum tandem offendit, quo aperto ſancti Romualdi incorruptum ac integrum corpus reperit, cujus aſpectus gravis & venerabundus, levi ſolùm mucore notatus. En! hoc conſpectu neſcio præ lætitia inventi, an conſcientiâ audaciam corripiente eò ſtuporis devenit & timiditatis, ut ſe vel ex loco movere non valeret, compedibúsq; ſibi quaſi à Sancto ad rei veritatem luci manifeſtiùs aperiendam retineri fuit viſus.



CA-

3.



talia ob inventas non gestat gaudia gemmas
Corde Suo peragrans /: crede :/ viator inops;
qualia cum populo gens candida pectore sentit,
Sancti dum fuerat conscia facta Sui;
Gaudens ergò suum hæc veneratur honore Parentem
Patronum celebrat lætus at ille suum.

CAPUT III.

Inventio ſanctiſſimi Corporis divulgatur, cujus cultus & reverentia reviviſcit.

TAlia ob inventas non geſtat gaudia gemmas
Corde ſuo peragrans (crede) viator inops;
Qualia cum populo gens candida pectore ſentit,
Sancti dum fuerat conſcia facta ſui:
Gaudens ergò ſuum hæc veneratur honore Parentem,
Patronum celebrat lætus at ille ſuum.

ORto jam ſole Monachus Sacriſtiæ Præfectus Eccleſiam intrans hunc in templo collegam ſuum pridie ſpontè ſua recluſum vix non majori alterius percuſſus terrore invenit, cauſam, ejúsque effectum ſciſcitatus rem ex integro Abbati defert, qui totum illicò Conventum in unum convenire mandat, ac coram audax nimis Monachi illius facinus increpat, non tam corde quidem, quàm ore: cùm tam felicis rei eventus acrimoniæ illius modum poſuerit; ob quod ingenti omnes repleti gaudio ſacras reverentur reliquias, nec non magna cum


cum admiratione honorant Sancti habitum, qui illæſus, ac ab omni vermium, ſerpentúmque corroſione immunis ſpectabatur, ſubtùs autem inveniebant veſtem cilicinam (qua indutus animam exſpiravit) ſalvam paritèr & integram: agebant igitur Deo in hoc multùm mirabili gratias, quia Servo ſuo non dederat videre corruptionem, cum anima intra beatitudinis gloriam jam 440. ferè antè annos receptâ, corpus corruptibile inventum fuerit incorruptum. Abbas igitur æqui, boníque conſulebat hæc vicinis locis promulgare tam ad notam antè ſibi inuſtam abolendum, quàm ad populo nova auditu jucundiſſima inſinuandum: Hinc primitùs Fabrianenſis Conventûs Priori (cujus Monaſterium tanquam membrum Valli de Caſtro ſubjectum erat) deîn Epiſcopo Camerini ordinario & diœceſano patefieri jubet, qui ibidem incunctantèr comparet aure percepta oculo periclitaturus, & omninò dictis conformitèr invenit, non ſine magna animi lætitia & conſolatione; quare præſentibus quadraginta dierum indulgentias concedit, corpúsque glorioſum cunctis inibi confluentibus ſpectabile exponit, tangere tamen reverentiæ ei debitæ causâ ſeverè inhibendo; in brevi tantus populi creſcebat concurſus, ut undìque proceſſionalitèr ad ſacras Romualdi reli-

quias

quias videndas, venerandas, & colendas accurrerent & tanta quidem pia cum importunitate, ut jam non amplius ab eorum contactu custodiri potuerit, ob quod necessitabantur Monachi conficere urnam, in quam illos reponerent, relicta solùm fenestrellâ, per qualem venerabile caput conspicere liceret, talitèr ut universalis illius territorii Patronus in omni cultu & veneratione per 14. iterum annos, nempè ab Anno Domini 1466to Romualdus conservabatur usque ad Annum 1480mum.



4.



bInVs CLassensIs VenIt InCoLa VaLLIs In aDes
notas reLIqVIas raptet abInDe patrIs.
quas vix Sacrilegis manibus tetigêre, ruębant,
et mox in cineres est resoluta caro.
hocce nihil pavidi Sacco vili ossa reponunt,
et sub secretos occuluêre gradus.

CAPUT IV.

Quomodo Corpus ſancti Romualdi furto ſit ablatum.

BInVs CLaſſensIs VenIt InCoLa VaLLIs In æDes
Notas reLIqVIas raptet abInDe patrIs.
Quas vix ſacrilegis manibus tetigêrè, ruebant,
Et mox in cineres eſt reſoluta caro.
Hoccè nihil pavidi ſacco vili oſſa reponunt,
Et ſub ſecretos occuluêre gradus.

ANno 1480. duo Monachi in Monaſterio Claſſenſi profeſſi (unus nomine Thaddæus Sacerdos, Lajcus alter nomine Rochus) in Valle de Caſtro adveniunt, ubi charitativè & fraterno cum affectu excæpti per dies aliquot moras trahunt. Hi moti zelô (ut iis ſaltem parebat) bonô cogitant ſancti Patris Romualdi Corpus furto ſubducere, illúdque ſecum in ſuum non adeò à Ravenna procul diſtans Monaſterium, Claſſenſe dictum (ubi Sanctus hic parens vota ſua religioſa Deo voverat) aſportare; Ad hanc peſſimè factam reſolutionem ſuam in effectum deducendam nocte

una ſtudioſiùs ſibi electâ in Eccleſia manent ambo, Sancti tumulum aperiunt, & ecce! quàm mirabilia, ſed ſimul, quàm terribilia ſunt Dei judicia! vix impias & ſacrilegas manus ſuas extenderant, corpus tantorum annorum ſpatio ſemper incorruptum corruit, carnes diſparent, & in ſcineres reſolvuntur: * O caſum rarum! caſum ad metum, tigridi etiam & leoni incutiendum ſufficientem! homines tamen ſubinde à ratione ipſis beſtiis remotiores inconcuſſi manentes de malo in pejus abeunt, cujus probam impii hi non Re- ſed irreligioſi poſuerunt, non ſolùm non terrentur tam terribilis casûs eventu, ſed alter alterum intuentes oſſa ſacra ad melius abſcondendum vili ſacco injecta in angulo quodam domûs recondunt; Illuſcente die altero duo hi nequam primi ſunt, qui hujus pretioſæ gemmæ furtum proclamant ad talitèr longiùs à ſe patrati ſuſpicionem omnem amovendam; Lugent cum lugentibus, triſtantur cum triſtibus, & quærunt cum quærentibus. Aſt exſanguis ferè conventus ille ſuo cum Abbate, quid agerent, quidvè facerent præ dolore amiſſi ſanctiſſimi ſui Parentis neſciunt, examinant omnes cellarum angulos, perluſtrant cunctas Eccleſiæ latebras, rimantur ſacriſtiæ quæque inti-

* *Proprium Camaldulenſe 7mo Februarii Lect. 5. &c.*

intima, quærunt, requirunt, quos, qualésque retrò actis diebus nutriêrint hoſpites diligentèr in memoriam revocant, è quorum numero beneficiorum immemor unus fortè furtum hoc comittere non erubuiſſet; anxiùs inquirunt, ſi fors furis veſtigium pateat aliquod, orant, plorant, domúmq; viduam amaris gemitibus totam replent, circum euntes extra ſe ipſos cogitant ac concludunt: forſan ob ſua peccata, ſe tali fuiſſe orbatos theſauro, ſine Patre nunc eſſe filios, ſine tutore pupillos & orphanos; verùm omnia erant vana, oleum & opera in quærendo erat perdita: unde, nuntios varios in diverſa loca ablegant, ſi fortè de ſublatis ſui Romualdi reliquiis aliquid innoteſceret; at etiam hæc diligentia erat inanis & ſuperflua, dum quærunt foris, quod intùs (licèt inſcii) habebant.



5.



Heu! deflente Suum Castrensi prole Parente
Crimen primo aliud junxit uterq; latro;
Nocte Sacristiæ foribus violenter apertis
obvia surripiunt vasa sacrata Deo:
Tandem cum duplici mulus sic esset onustus
furto, sollicitas arripuere fugas.

CAPUT V.

De investigatione, furum, iísque inventis.

HEu! deflente suum Castrensi prole Parentem
Crimen primo aliud junxit uterque latro,
Nocte Sacristiæ foribus violentèr apertis
Obvia surripiunt vasa sacrata DEO:
Tandem cùm duplici mulus sic esset onustus
Furto, solicitas arripuêre fugas.

ABbas plenus anxietate animi, omníque consiliô destitutus Fabrianum residens ibidem Vallis de Castro Regimen & Magistratum appellaturus abit, déque casu inauspicato auxilium juxta, & consilium capturus; Cujus rei notitia, ubi ad aures populi pervenit, in eodem vix non majorem quàm in ipsis Monachis effecit doloris sensum, hinc nulli parcere labori in amissi inquisitione jurejurando se obligat, & præter omnem possibilem diligentiam, curam & solicitudinem ad omnes expensas factu necessarias administrandas sese constringit. Absente interim Abbate binus ille latro

verme conſcientiæ inquietatus ſuum in Monaſterium reverti decernit, ante tamen diſceſſum è Valle de Caſtro ſecundùm facinus addere primo attentat, exſpectatâ enim occaſione Sacriſtiæ fores violentèr infringit, de argenteis uſui Eccleſiæ deputatis quæque obvia accipit, & aſino à familiari quodam ruſtico conducto ſacrilegum duplex furtum imponit, ac inde diſcedit. Paulò poſt Sacriſtanus Sacrarium ingreſſus præter omnem unquam opinionem argentea ſibi vaſa ablata cognoſcit, nemo non poterit ſibi imaginari, quis terror, & quæ lamenta hos bonos Religioſos Vallis de Caſtro invaſerit (præſertim quia vulnus ante paucos dies inflictum adhuc recens fuerat) ſana igitur hoc in caſu mente inferunt, Claſſenſes (hos duos Monachos) & non alium & antecedens & jam præſens furtum commiſiſſe, quorum judicium mox ſuperveniens ruſticus comprobat referendo Thaddæum & Rochum à ſe conduxiſſe aſinum conditione appoſitâ eum quantociùs reſtituendi, quod nondum factum demonſtret ſe eſſe deceptum, quare Abbas è ſuis duos ábſque mora Religioſos expedit ad inſequendum prædictos Claſſenſes, & ad indagandum quid oneris impoſitum ducerent, in via igitur jam conſtituti intelligunt fures cum aſino quodam Maſſacium

ver-

versùs perexiſſe, ſolicitè idcircò totam noctem citatô gradu tranſigere non moleſtè ferunt, ſub auroram tandem conventum ſancti Laurentii ſui ipſorum Ordinis Monaſterium attingentes, ibi ſui adventûs cauſam exponunt, quam admiratus Abbas inſinuat, quos quærerent hac nocte præterita apud ſe pernoctâſſe, ſibique ſuſpectos fuiſſe eò, quod ábſque benedictione ſua (in hac religione enim viget mos, quod nullus vel exire, vel redeundo ſuam cellam intrare queat abſque petita & obtenta ſui vel Abbatis vel Prioris Benedictione) diei lucem prævenientes cum jumento onere quodam onuſto abiîſſe. Relatione hac inſtructi unâ eodem cum Abbate, accelerato paſſu Æſium tendunt, in qua Civitate ſacrilegi (inſciîs tamen adhuc Abbate & ſociis eos inſequentibus) advenerunt, ac in caupona quadam Suburbii ſancti Floriani portæ vicina diverterunt.



6.



*Sacrilegi Aesina posito Sacro oſſe tabernâ
ablatos abeunt vendere in urbe Scyphos,
interea absumi flammis visum ante cubile,
pro flammâ Sancti prodidit oſſa viri;
donec erat captus Scelus hic, fit cæcus uterq;
crimen faſſus abit, præda fit inde lupis.*

CAPUT VI.

De duobus miraculis Æsii subsecutis.

SAcrilegi Æsina posito sacro osse tabernâ
Ablatos abeunt vendere in urbe scyphos,
Interea absumi flammis visum antè cubile
Proflama sancti prodidit ossa viri,
Donec erat captus scelus hic, fit cæcus uterque,
Crimen fassus abit, præda fit inde lupis.

SAcris ossibûs in cubiculo sub scamno depositis januam diligentèr obserant Rochus & Thaddæus, clavímque secum accipientes in civitatem progrediuntur rapta ex Sacristia Castrensi divendituri, sed eccè civitatem vix ingressi ambo cæcitate corporali feriuntur, átque hinc & illinc titubantes in stuporem spectantium gradum sistere coguntur: his miseris quid miseriùs accidere potuisset? Cum privatis jam antea mentis lumine luminis etiam corporis supervenerit destitutio, quatenus sic duplici virga virtute ex alto tacti crimen duplex luant, his itáque per plateas in civitate errantibus scena spectaculi alterius se pandit: Puer Cauponis filius casu pertransiens obseratum cubiculum per rimam advertit magnam ignis flammam erumpere, quô terrefactus puerulus ingenti voce: *Incendium; incen-*

incendium Patrem vocat, currit Pater, concurrunt domeſtici, accurrunt inſolito rumore excitati circumvicini, per rimam aſpiciunt, & idem quod puer concernunt, clavi ergo ſublatâ per vim januam aperiunt, & heu! in momento ſumma præſentium admiratione incendium, nullo poſt ſe relicto ignis veſtigio diſparet; ſtupent ſenſus excedentem eventum, & quæ tantæ viſionis cauſa perpendunt, ac omnes cameræ angulos perquirunt, ſed non niſi vilem ſubtùs ſcamnum ſaccum inveniunt, qui poſtquam fuerat apertus, oſſa mortui cadaveris illis obtulit, quo viſo præ pavore totis artubus trementes quid ſibi hoc velit ignorantes. Spargitur mirabile hoc ſpectaculum per civitatem & alter alteri admirabundi idipſum enarrant, interea ſancti Laurentii Abbas cum duobus Vallis de Caſtro Monachis ſupervenientes audiunt quod contigerat rem itáque omnem ad Thomam Ghiſilerium ejuſdem civitatis Epiſcopum deferunt, atque ſacrilegos Monachos adhuc in via delirantes & cæcutientes furti accuſant, qui ejus (Epiſcopi) juſſu comprehenſi adducti & examinati furtum, ejus circumſtantias, & depoſita in diverſorio oſſa ſancti Romualdi eſſe corpus ultrò & ábſque alia violenta inſtigatione liberè confitentur: iîs igitur ad carcerem interim detruſis Abbas præfatus

unà

unà cum Monachis Castrensibus ad cauponam properant, & quas tam anxiè támque solicitè quæritant, sui sancti Patris Romualdi reliquias inveniunt, has deinde Episcopus cnm unverso suo Clero magna cum pompa & numeroso comitante populo in majorem suæ curiæ Ecclesiam collocaturus portat: O quàm inscrutabilia Dei judicia, & quam investigabiles ejus sunt viæ! en istis omnibus ritè peractis, fures carceralibus in tenebris latentes præter omnium spem visum recipiunt, utpote fine cessante (qui fuerat illos capi) cessaret & medium (quod fuerat illorum cæcitas) aliquot post dies Episcopus clarè cognoscens totum singulari omnipotentis Dei permissione, idque pro majori solum Romualdi honore contigisse, eos carcere aperto impurus ex reverentia & in religionem respectu dimittit. Verùm Deus hac illorum castigatione non contentus acriùs illos punit, nam in itinere intra densa sylvarum devia in lupos incidunt & in frusta secerpti ambo illis in prædam & pabulum facti pecatorum suorum pænas dederunt.* Ex hoc perpendere licet, quàm acritèr Deus Sanctorum suorum honorem zelet, quomodò creaturas omnes justis servire adigat, siquidem cælum, aqua, terra, ignis, tempus, bestiæ, homines divo

* P. D. Castagnizza cap. 28 vo in fine fol. 219.

divo devoti, integer populus, Episcopus, Magistratus, Religiosi ac tandem ipsi, pro sua etsi perditione duo Monachi occasio exstiterunt majoris in sanctum Romualdum honoris, cultûs, reverentiæ, & timoris suborti.

Caupona hæc præmemorata, in qua sacra ossa deposita fuêre, hodiè in hospitium ipsis PP. M. C. Eremitis Camaldulensibus cernitur erectum, cubiculum verò, quod per flam̃am videbatur absumi, in non mediocre sacellum est formatum, in quo continuò tam Æsini quàm exteri Romualdum venerantes suorum votorum à benignissimo Deo per interventum ipsius & merita compotes fiunt, per miracula etiam crebriora in suis necessitatibus non minùs corporalibus, quàm spiritualibus consolatione pleni exaudiuntur, quod abundè innumeræ ferè in gratitudinis signum à beneficiatis appensæ testantur tabulæ, quemadmodùm ipse ego occulis cernere merui.



CA-



7.



Vrbs hoc ergò Sacro thesauro gaudet, et auget
cum Clero Antistes gaudia tanta suo;
ut viduata domus Castri gemibunda perorat,
ut qui jure suus, restituatur honos.
fit compos, hinc non ingrata lacertum
Aesinis /: Coelo munera digna: / dedit.

CAPUT VII.

De recuperatione Corporis ſancti Romualdi.

URbs hoc ergo ſacro theſauro gaudet, & auget
Cum Clero antiſtes gaudia tanta ſuo;
At viduata domus Caſtri gemibunda perorat,
Ut qui jure ſuus, reſtituatur honos,
Fit voti compos, hinc non ingrata lacertum
Æſinis (cœlo munera digna) dedit.

QUæ, quantáque bona tam corporalia quàm ſpiritualia ex poſſeſſione reliquiarum Sanctorum utpotè amantiſſimorum Dei amicorum reſultent, meum non eſt hìc deſcribere, cum tractatus ſeorſim requireretur integer. Teſtentur hoc interim Regiones, Territoria, Provinciæ & Regna integra, quæ vivi teſtes narrabilium exiſtunt; indè eſt, quod Imperatoribus, Regibus, magníſque Potentatibus inter primas ſemper curas eſſet eas procurare, non parvis ſumptibus in ſibi ſubdita transferre loca, & translatas ſummis in honoribus, cultu & veneratione conſervare, ut habe-rent,

rent, ad quos recurrerent, auxilium & intercessionem apud Deum in necessitatibus suis, curis & afflictionibus postulaturi; non absimile contigit in inventis sancti Romualdi reliquiis: curat Episcopus illas ex curiæ suæ templo omni cum reverentia in Ecclesiam transportari Cathedralem gaudens tali se thesauro cœlitùs esse ditatum; applaudit vulgus de tanto sibi novitèr instalato Patrono & Advocato; repetit econtrà & merito proles Camaldulensis sanctissimum suum Patrem, sed non poterat corporalitèr fieri ex integro omnibus idem. Quarè revertendum erat duobus illis Vallis de Castro ablegatis relicto Æsii Romualdo lætum solùm Abbati suo referentes nuntium, se, quod amiserant, investigâsse plenam, quomodo successerat, informationem deponentes; in persona igitur Abbas ipse Episcopum accedit ablatum sibi restitui humilitèr expostulans, sed auditus non tamèn exauditus Monasterium repetit: memor tandem, quod spoponderant Fabrianenses, ad illos pro subsidio se confert, qui primitùs propria authoritate usi coram Episcopo Æsino comparent, nullo tamen, ùt Abbas, effectu secuto abscedunt, quô visô Ecclesiæ Tribunal apud Georgium Cardinalem & Summi Pontificis Sixti IV. Legatum appellant, qualis illicò mandatum edit ad Episcopum

scopum

ſcopum & Æſii incolas ſanctum Romualdum incunctantèr ſub gravi pœna & cenſura Fabrianenſibus tanquam legitimis Vallis de Caſtro Dominis reſtituendi, quâ læta reſolutione conſolati omnem apparatum, Clerum, & perſonas eccleſiaſticas de more ſubordinandas conſtituunt, ut Æſii in ſequenti die ad in omni pompa & ſoleñitate ſacras Reliquias levandas & ſuum in territorium portandas compareant, Legati interim & Commiſſarii Fabrianenſes Æſium tum ad ſacrum Romualdi corpus vigiliis cuſtodiendum, tum ad Epiſcopo legati mandatum de eodem Sancto reſtituendo inſinuandum proceſſerunt, qui ulteriùs reſiſtere non auſus partem ſaltem aliquam Reliquiarum ſibi, ſuíſque pro conſolatione relinqui inſtat, cujus petiti factus compos brachium ſancti obtinuit, quod honorificè in hodiernum etiam diem aſſervatur ibidem, & ſolemni Proceſſione ſumma cum devotione totius Civitatis, adjacentiúmq; locorum quot añis in ejus feſto 19. Junii publicè circumfertur.



8.



Gemma sit obtenta hæc, fabriani, an valle locanda
de Castro; in dubium non mediocre venit:
hâc nolens Virgis licèt actus Spontè Sed illàc
pondere cum Sacro mulus inire vias,
arbIter est VerVs; tota hoC CaMpana probabat,
attaCtæ nVLLâ qVæ sonVere VoLâ.

CAPUT VIII.

De ipſa ex Civitate Æſina in Fabrianenſem translatione, & quæ in ea contigerunt.

GEmma ſit obtenta hæc Fabriani, an Valle locanda
De Caſtro ? in dubium non mediocre venit;
Hac nolens virgis licèt actus ſponte ſed illàc
Pondere cum ſacro mulus inire vias
ArbIter eſt VerVs ; tota hoC CaMpana probabat,
AttaCtæ nVLLâ qVæ ſonVêre VoLâ.

DIrempta lite una, altera ſuccedit, nam levato ſancti Romualdi Corpore dubium ſuboritur, ad Vallem nè de Caſtro, an Fabrianum eſſet transferendum ? quidam & quidem cum ratione reſtituendum eſſe dicunt loco, unde fuerat ſublatum, allegando inſuper, quod non ſolùm Sanctus ibidem ſit mortuus, ſed etiam 400. annorum ſpatiô quieverit. Alii opponunt jus à potiori favere Fabrianenſibus eò, quòd in recuperatione illius indefeſſam adhibuerint curam, ſolicitudinem & diligentiam, ſumptus, & expenſas impenderint non exi-

guas, ad hæc majori in cultu, honore & reverentia Sanctum Fabriani in loco populoſo, devoto & multùm frequentato haberi, quàm in Valle de Caſtro loco deſerto, ſolitario & inhabitato; cauſam ergò decidere hac in parte aut volente aut valente nemine aſſumit Deus hoc modo: Reliquiæ ſacræ in grandi arca poſitæ mulo imponuntur, eúmq; in viam Vallem de Caſtro versùs dirigunt, at nulla humana vi nullo conamine, multorum etiam verberum ſtimulis eò adigi potuit, ut illam proſequeretur, ſed ſpontè ſua priori relicta viam Fabrianum ducentem arripiens ultrò pacificè & quietè ſuo ſacro cum onere proceſſit, ex quo piè inferebant: Dei eſſe voluntatem, cui nullatenùs reſiſtere oporteret, mirabile hoc factum comitatur mox mirabiliùs aliud: quàm primum enim animal terram Fabrianenſem, ubi à facie Civitas conſpicitur, calcare cœpit, citra omnem humanam opem ex ſe ipſis omnes campanæ ciêre incipiunt ſonum tanquam publicum communis lætitiæ & gaudii indicaturæ ſignum. Quô incolæ incitati incomparabili lætitia, applauſu & jubilo obviam veniunt; cùm autem jam penè ſolis occaſu præventi fuiſſent, ita, ut eodem veſpere decentèr & debitis cum ceremoniis Urbem ingredi non valerent, Sancti Corpus in vicina quadam Suburbii Ecclesia

clesia S. Antonio sacra deponunt totam noctem, Hymnis, Laudibus, & Canticis transigentes: Recurrente diei luce inexplicabili gaudio festivitate ac devotione per ipsos sancti Romualdi Discipulos comitante Clero, Conventu psalente, & cantante populo in sancti Blasii Ecclesiam ejusdem beati Romualdi Ordinis Monasterium deportatur, ubi post Altare majus primitùs in ferrea artificiosa arca, deinde intra aliam marmoream non minùs artificiosè elaboratam depositus clarus jacet miraculis; tumbæ marmoreæ incisum legitur hoc Epitaphium:

Sanctus Romualdus Ravennas Ducali stirpe cretus hìc situs est.

Fabrianenses postmodùm de tanto thesauro jam securi pro gratiarum actione & suæ in ipsum devotionis testimonio unanimitèr sanctum Romualdum in loci protectorem, Patronum & Advocatum ad DEUM eligentes publico voto ejusdem festum (quod 19. Junii incidit) inviolabilitèr & in perpetuum solennitèr celebrandi & observandi se se abstrinxerunt. Tandem in honorem gloriosæ hujus Patriarchæ sepulturæ magnificùm extrui curârunt sacellum, cum sequente in ejus frontispitio inscriptione:

Divo Romualdo Camaldulensis Ordinis Authori, multa Reipublicæ impensâ ab Æsinis restituto.

S. P. Q. F. Sixto Pontifice IV. S. D. P. dicavit M. CCCC. LXXXII.

Ejus festum anteà solùm ab Ordinis Religiosis observatum Clemens VIII. Summus Pontifex per Decretum 9. Julii 1595. editum in tota sancta Ecclesia eodem, quô Ordo, 7. Februarii Sancti translationis die celebrari, & Officium Illius ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, sub ritu duplici recitari mandavit.

Explicit Historia Translationis sanctissimi Patriarchæ

ROMUALDI.

O. A. M. D. G. B. V. M.
Et S. P. N. R. H.



AG-



Gratulor ergo tibi reliquis felicior unus,
de tutore tuo hoc, ô! fabriane civis!
gratulor et niveæ tibi terque quaterq; Beatæ
Proli, nam tecum est semper in æde Parens!
eXtera gens etIaM tIbI pLaVDo patente sepVLChro
hVCaDes eX VotIs, CreDe, petIta DabIt.



AGGRATULATIO AD FABRIANENSES DE OBTENTO SS. ROMUALDI CORPORE.

GRatulor ergo Tibi reliquis felicior unus
De Tutore Tuo hoc, mi Fabriane, Civis:
Gratulor & niveæ Tibi térque quatérque Beatæ
Proli, nam Tecum eſt ſemper in æde Parens.
eXtera gens etIaM tIbI pLaVDo patente ſepVLChro:
hVC aDes eX VotIs, CreDe, petIta DabIt.



VO-



VOTUM
ET OBLATIO AUTHORIS
Ad sanctissimum
PARENTEM SUUM ET PATRIARCHAM.
ROMUALDUM.

ALme pio de corde precor: complectere votum,
Quô Tibi pertenuè hoc consecro amantèr opus!
Cuncta sacræ quæcúnque Tuæ est hìc littera vitæ,
Scripta sit (obtestor) non nisi amore Tui;
Dux ea sit nobis, lux mundo, quâ itur ad astra,
Tu præis, ut post Te, fac, veniamus! Amen.





Oblatio Autoris ad SS.mu³ Patriarcha³ et Parentem Suum Romualdum.
Alme, pio de Corde precor, Complectere Votum!
quô tibi pertenue hoc, consecro amanter opus.
Cuncta Sacræ, quæcunq tuæ est hic litera vitæ,
Scripta sit, obtestor, non nisi amore tui:
Dux ea sit nobis: Lux mundô, quâ itur ad astra,
tu prævis; ut post te, fac, veniamus! Amen.



PARS TERTIA.

MODICÆ
DEVOTIONIS
SCINTILLÆ

Ad Sanctissimum

PATRIARCHAM ET
ABBATEM
ROMUALDUM,

Complectentes

Parvum Officium, Hymnos, Orationes, & devotè compositas ejus Litanias.



Dietell Sculp.



OFFICIUM PARVUM

Sanctißimi Patris Nostri

ROMUALDI,

AD MATUTINUM.

℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. DEUS in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.
℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. Alleluja, vel laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

LUcis aspectus dubiè refulgens
Incipit noctis tenebras fugare
Lucidas celsi Pater almus ædes
Intrat Olympi.

Ociùs membrîs meditemur ergò
Pellere è nostris placitum soporem,
Et super cœlum sacra Romualdi
acta feramus.

Stir-

Stirpe præclara ſatus hic recenti
Laude, quæ priſcam decorat Raveñam,
Incolas inter decus eſt adeptus
Majus ab aſtris.

Dum Puer ſylvis cupidus vagatur
Hic ait: Chriſti famulus relictis
Sæculi curis, ſuperum Parenti
Serviet aptè.

Gloriam Patri tribuamus omnes:
Gloriam Chriſto memores ſalutis:
Gloriam Sancti, tibi concinamus
Ignis amoris.

Antiphona.

Ubicunque per ſylvas amænum locum reperire poterat, mox ſe ad eremi deſiderium ejus animus accendebat.

℣. Ora pro nobis ſancte Romualde,

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

OREMUS.

CLementiſſime DEUS, qui maximo Monaſticæ diſciplinæ, atque Eremiticæ vitæ Reſtauratori ROMUALDO perituras mundi delitias pro tui Nominis amore deſpicere tribuiſti: Ejus nobis interceſſione concede, ut contemptis ſæculi curis tibi ſoli vivere mereamur; Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℞. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, & Filio, &c.
℞. Sicut erat in principio, &c. Allel. &c.

Hymnus.

SIc Dei multo celebranda cultu
Præcinit mirus fera lustra vates
Sic Piæ gliscunt tenero latentes
Pectore flammæ.

Ecce cognatum stimulatus ira
Sergius fundit genitor cruorem
Ad pias natus fugit, & paternas
Deserit ædes.

Martyr & primus Patriæ Sacerdos
Hic bis antiquo è tumulo resurgens
Visus est illi pia ferre templi
Thurra per aras.

Gloriam Patri tribuamus omnes:
Gloriam Christo memores salutis:
Gloriam Sancti, tibi concinamus
Ignis amoris.

Antiphona.

Inclite Confessor Christi, Camaldulensium Pater & Dux ROMUALDE, intercede pro nostra, omniúmque salute, ut tuis adjuti precibus regna cœlestia consequamur.

℣. Ora pro nobis sancte Romualde.
℞. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORE-

O R E M U S.

CLementiſſime Deus, qui maximo Monaſticæ diſciplinæ, atque Eremiticæ vitæ Reſtauratori ROMUALDO perituras mundi delitias pro tui Nominis amore deſpicere tribuiſti: Ejus nobis interceſſione concede, ut contemptis ſæculi curis Tibi ſoli vivere mereamur; Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, &c.

AD TERTIAM.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
℣. Gloria Patri, & Filio, &c.
℟. Sicut erat in principio, &c. Alleluja.

Hymnus.

CLauſtra, quo aſpectu attonitus ſe in ar- (cta
Conjicit, ſævas maris hinc per undas
Vectus æternæ Duce ſub Marino
Militat aulæ.

Cellâ incluſus ſilet, atque Parcum
Fontis infuſum latici legumen
Sumit & longas prece pertinaci
Decipit horas.

Moribus mentem decorans honeſtis
Corpus intorto lacerat flagello:
Ingemunt artus, animo alta cœli
Gaudia libat.

Glo-

Gloriam Patri tribuamus omnes:
Gloriam Chriſto memores ſalutis:
Gloriam Sancti, tibi concinamus
Ignis amoris.

Antiphona.

Per continuum annum nullum alium habuit cibum, niſi tantùm per ſingulos dies unum pugillum ciceris elixi.

℣. Ora pro nobis ſancte Romualde.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

OREMUS.

CLementiſſime Deus, qui maximo Monaſticæ diſciplinæ, atque Eremiticæ vitæ Reſtauratori ROMUALDO perituras mundi delitias pro tui Nominis amore deſpicere tribuiſti: Ejus nobis interceſſione concede, ut contemptis ſæculi curis Tibi ſoli vivere mereamur; Per Dominum, &c.

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
℣. Gloria Patri, & Filio, &c.
℟. Sicut erat in principio, &c. Alleluja.

Hy-

Hymnus.

INcolas format nemorum, docétque
Nos viam tuto pede inire Patrum,
Qui paleſtinos coluêre ſaltus,
Quique canopi.
Præſcius caſus aperit futuros
Abſtrahit ſæcli laqueis Potentes
Et jugum Chriſti tumefacta cogit
Colla ſubire.
Hôc pio flexus monitore Petrus
Patriæ linquit malè parta Regna,
Nec Crucis Chriſti generoſa pondus
Terga recuſant.
Gloriam Patri tribuamus omnes:
Gloriam Chriſto memores ſalutis:
Gloriam Sancti, tibi concinamus
Ignis amoris.

Antiphona.

Accenſo mentis deſideriô cœpit de virtutibus in virtutes mirabilitèr creſcere.

℣. Ora pro nobis ſancte Romualde.

℟. Ut digni efficiamur promiſſiónibus Chriſti.

OREMUS.

CLementiſſime DEUS, qui maximo Monaſticæ diſciplinæ, atque Eremiticæ vitæ Reſtauratori ROMUALDO perituras mundi delitias pro Tui Nominis amore deſpice-
re

re tribuiſti : Ejus nobis interceſſione concede, ut contemptis ſæculi curis Tibi ſoli vivere mereamur; Per Dominum, &c.

AD NONAM.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
℣. Gloria Patri, & Filio, &c.
℟. Sicut erat in principio, &c. Alleluja.

Hymnus.

ARduum nudis pedibus cacumen
Appuli montis, ſcelus ut nefandum
Expiet, juſſis adigit verendis
Scandere Ottonem.
Sanat ægrotos, ſtygis atra pellit
Monſtra vi vocis penetrantis aſtra
Arborem cellæ vetat incidentem
Tangere tectum.
Ignis extinquit rapidi furorem
Et rates ſervat prece fluctuantes.
Regii vatis reſerat docente
Numine carmen.
Gloriam Patri tribuamus omnes:
Gloriam Chriſto memores ſalutis:
Gloriam Sancti, tibi concinamus
Ignis amoris.

Antiphona.

Erat quaſi unus de Seraphim, quia flam̃â Divini amoris incomparabilitèr æſtuabat.

℣. Ora pro nobis ſancte Romualde.

℞. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

OREMUS.

CLementiſſime DEUS, qui maximo Monaſticæ diſciplinæ, atque Eremiticæ vitæ Reſtauratori ROMUALDO perituras mundi delitias pro Tui Nominis amore deſpicere tribuiſti; Ejus nobis interceſſione concede, ut contemptis ſæculi curis Tibi ſoli vivere mereamur; Per Dominum, &c.

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℞. Domine ad adjuvandum me feſtina.

℣. Gloria Patri, & Filio, &c.

℞. Sicut erat in principio, &c. Alleluja.

Hymnus.

ANtè bis denos obitum diémque
Prævidens annos, reſerat locúmque
Et ſacro tempus ſatagit ſupremum
Claudere fine.

Luſtra bis vitæ & duodena menſus,
Et Deo centum famulatus annos,
Clauſtra tres inter, reliquósque vaſtas
Inter Eremos.

Plenus in cœlum properat dierum
Spiritum cujus nive puriorem
Antè conſpectum ſuperum Parentis
Angelus offert.

Glo-

Gloriam Patri tribuamus omnes:
Gloriam Christo memores salutis:
Gloriam Sancti, tibi concinamus
Ignis amoris.

Antiphona.

Cùm cæpisset ejus corpus magìs, magisque molestiîs ingravescere: noluit tamen Vir sanctus in lecto decumbere.

℣. Ora pro nobis sancte Romualde.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

O R E M U S.

CLementissime DEUS, qui maximo Monasticæ disciplinæ, atque Eremiticæ vitæ Restauratori ROMUALDO perituras mundi delitias pro Tui Nominis amore despicere tribuisti; Ejus nobis intercessione concede, ut contemptis sæculi curis Tibi soli vivere mereamur; Per Dominum, &c.

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos Deus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam à nobis.
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, & Filio, &c.
℟. Sicut erat in principio, &c. Alleluja.

Hymnus.

OMnium gaudet procerum coronis
Angeli pura ſpecie refulget,
Et Prophetarum fruitur per alta
Regna decore.
Martyrum Palmas rapit ábsque ferro,
Utque Confeſſor rutilat, catervis
Virginum ſeptus nivei pudoris
Premia ſumit.
Dive, quos liquit tua magna virtus
Da ſequi nobis monitus, tuísque
Greſſibus noſtras vigili labore
Jungere plantas.
Gloriam Patri tribuamus omnes:
Gloriam Chriſto memores ſalutis:
Gloriam Sancti, tibi concinamus
Ignis amoris, Amen.

Antiphona.

Poſt legitimos labores exactos tandem felicitèr requievit; & ſolitariam vitam ſolitario fine concluſit.

℣. Ora pro nobis ſancte Romualde.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

OREMUS.

CLementiſſime DEUS, qui maximo Monaſticæ diſciplinæ, atque Eremiticæ vitæ Reſtauratori ROMUALDO perituras mundi de-

di delitias pro Tui Nominis amore despicere tribuisti; Ejus nobis intercessione concede, ut contemptis sæculi curis Tibi soli servire mereamur; Per Dominum, &c.

Commendatio filialis ad beatissimum Patrem

ROMUALDUM.

OBsecro te, beatissime Pater ROMUALDE dilecte Dei, perfectus in charitate cœlesti, Pater inquam & Magister Eremitici propositi, Pater, qui sanctam Eremum Ordinémque nostrum Camalduli per mysterium cœlestis Scalæ instar Jacob Patriarchæ tibi cœlitùs ostensum Domino nostro JESU Christo benedicto in altis montibus sacrâsti, ut nos famuli tui calcatô sæculô adiscamus, per humilitatem Religionis ascendere in montem contemplationis, quæ est janua Scalæ cœlorum, & ut sedentes ad pedes Domini cum MARIA fundere studeamus, sicut aquam cor nostrum antè conspectum sanctissimæ Trinitatis, ut misereatur nostri Omnipotens Pater, & Angelorum nos præsidio cum Jacob muniat. Obsecro inquam, te beatissime Pater, memor esto omnium Camaldulensium tuorum, ac totius Christianæ gentis. Deprecare etiam pro me indigno servo tuo, ut illuminet me radius

radius gratiæ Spiritûs sancti. Quatenùs sordibus omnibus mentis, & corporis expurgatis universis bonis, ac sanctis virtutibus exornet. Sic verò in dilectione Dei & Proximi cum vera Religione, fide, spe, & charitate, & humilitate, & mansuetudine me exerceam, ut ad eam cœlestis montis contemplationem me aliquando rapi sentiam, quâ te hìc olim rapi consuevisti dum inhians in superna fluenta fontis vitæ, quasi totus in lacrimas resolutus æstuante in te ardore Divini amoris clamabas ad dulcissimum Dominum JESUM: *Chare JESU, chare; mel meum dulce, desiderium ineffabile, dulcedo Sanctorum, suavitas Angelorum*: & his similia multa proferebas, in jubilo, com̃endóque tibi, piissime Pater, animam meam, corpus, & spiritum meum, vitam, & finem vitæ meæ, commendo tibi etiam exaltationem universæ sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, extirpationem hæresum, unionem Christianorum Principum, Imperatorem nostrum NN. totámque Serenissimam Domum Austriacam, committo tibi omnes & singulos, qui exiguis orationibus meis se commendârunt, pro quibus orare teneor, omnes amicos & inimicos, præsertim qui tibi singularitèr devoti sunt, ut tu, qui Dei amicus es, & securus de te, quóque de nobis sollicitus sis, & nos precibus juves. Et

rogo

rogo te, dulcissime Pater, ut me famulum tuum hodie, & semper tuis sanctis intercessionibus protegas, quatenus Nomen JESU & Angelus ejus bonus expellat à me omnem Sathanæ nequitiam ac terrorem, & misereatur animæ meæ in egressu suo miserator Dominus. Qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

LITANIÆ
Ad Sanctissimum Patrem ROMUALDUM.

KYrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus. Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus. Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus. Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus. Miserere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, Ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, Ora pro nobis.
Sancte ROMUALDE, Ora pro nobis.
Tu Ordinis Camaldulensis aurora exurgens, Ora pro nobis.

Tu ſanctis deſideriis ſe ad Deum de terra Aquila extollens,
Tu de mundo ad ſolitudinem Turtur avolans,
Tu omnium tibi devotorum Pelicane fideliſſime,
Tu in deſerto virtutibus omnimodis Oliva fructifera,
Tu in exemplum ſupra montem Divinæ contemplationis Urbs collocata,
Tu ſupra candelabrum Eccleſiæ Catholicæ Lumen lucidiſſimum,
Tu in fornace multarum tentationum Aurum probatiſſimum,
Tu in rebus maximè arduis Abraham obedientiſſime,
Tu in ærumnis & afflictionibus Iſaac patientiſſime,
Tu ad cœlos ſupra Scalam in albis ſcandentes viros conſpiciens Jacob,
Tu ex Ægyptiaca hujus mundi ſervitute innumeros populos in terram Religionis promiſſam conducens Moyſes,
Tu per ſanctæ Crucis ſignum Aaron prodigioſe,
Tu in ſcelerum correptione Joſue intrepide,
Tu ab Angelis in Eremo Elias cibate,

Ora pro nobis.

Tu Deum ac Dominum tuum ſæpiùs loquentem auſcultans Samuel,
Tu ſubſtantiâ pauper, pietate verò Naboth ditiſſime,
Tu tam in proſperis, quàm adverſis in Divinam voluntatem Jacob reſignatiſſime,
Tu aquâ unum tuorum à lepra mundans Eliſee,
Tu pro Dei honore & Ejus Domo David zelantiſſime,
Tu adversùs tartara Samſon fortiſſime,
Tu contra furorem tuorum perſecutorum Petra immobilis,
Tu ſancti Spiritûs ſcholaris facte,
Tu moribus & vita Angele modeſtiſſime,
Tu à dæmonibus vexatos defendens Michaël,
Tu peccatoribus ſalutem annuntians Gabriel,
Tu lanquentibus medelam afferens Raphael,
Tu Ordinis tui Paradiſum ſolertiſſime cuſtodiens Cherubim,
Tu amore Dei ardentiſſime Seraphim,
Tu Camaldulenſium omnium Patriarcha glorioſiſſime,
Tu rerum plurimarum Propheta mirabilis,

Ora pro nobis.

Tu Catholicam fidem indefesſè deprædicans Apoſtole,
Tu continuò pro Chriſto moriendi deſideriô Martyr ineffabilis,
Tu opere & verbo Chriſtiani dogmatis Confeſſor inclite,
Tu Doctor à cœlo ipſo deſignate & inſtructe,
Tu corpore & anima Virgo caſtiſſime,
Tu ex hac vita in gaudio cygnus decedens,
Tu ob continua poſt obitum miracula Phœnix è ſcineribus iterum renate,
Tu qui inter vivos cœleſtis Jeruſalem lapides ineffabilitèr rutilas,
Tu Patrone noſter & Protector,
Sanctiſſime ROMUALDE,

} Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.
℣. Chriſte audi nos.
℟. Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleyſon.
Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon.
℣. Ora pro nobis ſancte Pater Romualde.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

ORE-

OREMUS.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui beatiſſimi Anachoretæ tui ROMUALDI, mentem tantis Divini luminis radiis illuſtrare dignatus es, ut perfectæ ſolitariæ vitæ excogitator extiterit, normámque in tui laudem jugitèr ſervandam, in cacumine montis Apennini mirabilitèr inſtituerit: Concede, quæſumus, nobis ejus alumnis quos in Nomine tuo genuit, tanta animi puritate in via præceptorum ſuorum verſari, quatenùs à terreno, ad æternum Montem, in quo tecum habitat, purificati conſcendere valeamus. Per Dominum, &c.

Deus, qui famulum tuum Romualdum Abbatem ſpretis caducis gaudiis hujus vitæ ad Confeſſionis gloriam ſublimâſti; Fac nos quæſumus, Ipſius meritis, ab hujus mundi onere ſublevatos, cœleſtia omni tempore anhelare.

Fac nos quæſumus Domine beati Patris noſtri ROMUALDI hìc imitari labores, ut illic Ejus gloriæ participes eſſe mereamur. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Antiphona.

Chare JESU! Benigne JESU! mel meum dulce, deſiderium ineffabile, dul-

cedo

cedo Sanctorum , ſuavitas Angelorum , æſtuans inenarrabili Divini amoris ardore clamabat.

℣. Ora pro nobis Beate Pater ROMUALDE.

℞. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

OREMUS.

FAmiliam tuam quæſumus Domine beati ROMUALDI patrocinio confidentem propitius reſpice : ut quem Magiſtrum vitæ ſibi delegit in terris, eundem apud Majeſtatem tuam Interceſſorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Reſponſorium

Ad ſanctum

ROMUALDUM.

SI quæris Patrocinium,
Et Romualdi gratiam,
Quid poſſit Ejus dextera,
Fabrianenſes adeas.
Obſeſſos & à ſcabie
A bello & à contagio
Attractos, átque pavidos,
Pupos, amentes liberat.

San-

Sancti contactu cranii
In præsens aqua cernitur
Morbos & incurabiles
Sanare frequentissimè.

Obsessos & à scabie
A bello & à contagio
Attractos, átque pavidos,
Pupos, amentes liberat;

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Obsessos & à scabie
A bello & à contagio
Attractos, átque pavidos,
Pupos, amentes liberat.

℣. Ora pro nobis sancte Romualde.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

DEUS, qui famulo tuo ROMUALDO Abbati gratiam & virtutem super ægros ac dæmones conferre dignatus es: Supplicationes nostras benignus aspice, ut Ejus meritis & intercessione omnem creaturam à nefariis spiritibus, & ab omni corporis & animæ infirmitate liberare ac præservare digneris. Per Christum Dominum nostrum, &c, Amen.

Hym-

Hymnus

Ad eundem pro infirmis & dæmoniatis.

In ægrotos & com̃otos
ORci vehementiâ
ROMUALDO ſit ex alto
Quæris, quæ potentia?
Hoc ut ſcias, prênde vias
Fabrianum, illius
Haud obſcura ſepultura
Sole dabit clariùs.
Lumen ibi, cæcus ſibi
Greſſum claudus recipit
Prece Ejus, ibi DEUS
Monſtra ſtygis ejicit.
Adhuc ita, is in vita
Novit ſtygem cogere,
Etſi vices hæc ultrices
Nôſſet illi reddere:
Ejus crura mole durâ
Noctu dæmon occupat,
Quinque annos, malè ſanos,
Artus ubi decubat;
Unus mente, alter dente
Furioſus deficit:
Hunc palpando, oſculando
Illum, eccè reficit:

Puer plangit, ſtyx quem angit
Sed dat panem tenuem
Benedictum, maledictum,
Quô fugavit dæmonem.
Parùm Ejus, quô ſe meus
Tergit Pater laticis,
Infirmantes, ægrotantes
Sanat ábſque medicis:
Dum ingreſſus vir obſeſſus
Inclyti Sacrarium,
Ex obſcuro, videt muro
Illius cilicium;
Dæmon gemit: hoc me premit.
Imò hinc in tartara
Me detrudit, ſic illudit
ROMUALDUS infera.
DEUS bone! interpone
ROMUALDI merita,
Ab antiquo inimico
Nos per illa libera!
Morbo laſſis, mente paſſis
Dura hìc certamina,
Robur adde, & Beatæ
Ibi vitæ prœmia.
Eja date, decantate
Summi laudes Numinis,
Luce ſui, qui dat frui
ROMUALDO luminis!
A M E N.

Antiphona.

Beatus ROMUALDUS, quosdam pane à se benedicto, nonnullus aquâ, unde manus suas abluerat, alios autem infirmos tactu languentium membrorum pristinæ restituit sanitati.

℣. Ora pro nobis Beate Pater ROMUALDE.

℞. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

DEUS, infirmitatis humanæ singulare præsidium, nos famulos tuos sancti ROMUALDI patrocinio confidentes propitius respice, & concede nos ità Ejus intercessione & exemplo proficere, ut ab omni vitiorum contagio liberati, perpetua mentis & corporis sanitate gaudeamus in terris, & de ejusdem societate perfrui mereamur in cœlis. Per Dominum, &c.

ORATIO.

Ad sanctum ROMUALDUM.

INclyte Confessor Christi, Camaldulensium Pater & Dux ROMUALDE, sanctissimæ tuæ protectioni humilitèr me commendo, & precor, ut ab omnibus, quæ Divinæ displicent Majestati, subtrahere me digne-

digneris: mihíque compunctionis & lachrimarum gratiam impetrare, ut salubritèr defleam peccata mea! quibus toties DEUM super omnia amabilem ad vindictam provocavi: ut eum tandem completo vitæ curriculô tecum in cœlo laudare valeam, donante Domino nostro JESU Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum, Amen.



APPENDIX DUPLICIS DEVOTIONIS

IN HONOREM

SANCTISSIMI PATRIS & ABBATIS

ROMUALDI.

PRIOR

PER DECEM MERCURII.

POSTERIOR

PER SEX DIES LUNÆ

Non sine singulari animæ fructu & Spiritûs profectu instituenda.

Decendialis in honorem sancti ROMUALDI.



QUis quis (devota & ROMUALDO addicta anima) aliquam à DEO per Eum gratiam ambit accipere, aut pro anteà ipso mediante jam accepta debi-

tas cogitat rependere grates, id poteſt per decem glorioſæ Ejus Translationis feſtum præcedentes quartas ferias commodè peragere; Per ferias quidem quartas, quia Thaumaturgus hic Abbas Anno 1481mo Februarii 7mo rectè in feriam quartam incidente Fabrianum (ubi uſque hodie ſignis ac miraculis clarus jacet) ſumma cum ſolemnitate eſt translatus. Per decem autem & non plures, ſicut etiam non pauciores, vel ex hoc deſumitur capite, ut decies decem illorum (id eſt 100.) in extrema auſteritate religioſæ & eremiticæ vitæ transactorum annorum * convenienti à nobis pertractandorum veneratione haberetur anſa & modus.

Benè verò & ritè hanc devotionem inſtituere volentis munus erit, hæc, quæ ſequuntur, ſervare puncta:

I. Singulis ſeorſim ſumptis quartis-feriis frequentandum eſt; Primò: SS. Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentum. Secundò: Audiendum vel celebrandum ad Altare hujus Sancti (ſi tempus id permittat) Sacrum. Tertiò: Dicenda etiam ſunt quâvis ex his feriis die decem Pater, & Ave, cum totidem Gloria Patri, &c. Quæ per omnes illos decem dies continuata nume-

rum

* *Petrus Damiani in vita S. Romualdi c. 69. circa finem, & Breviarium 7. Febr. in 2. Noct. Lect. 3.*

rum ſuperiùs memoratum Dei obſequiis impenſorum centum annorum adæquant. Item, poterit dici ſuperiùs fol. 1. Parte tertia Officium parvum, Litaniæ, &c.

II. Fomanda neceſſariò priùs eſt conveniens cum fine ac ſcopo (ob quem hanc devotionem obire viſum eſt) intentio, v. g. aliquod exſtirpandi vitium - mala ſeſe liberandi conſuetudine - certum eligendi vitæ ſtatum - particularem aliquam obtinendi virtutem - in bono ad exemplum Sancti hujus perſeverandi conſtantiam, &c. &c. Aut deníque pro obtenta quadam gratia gratum exhibendi animum.

III. Piis hos intra dies vacandum operibus; quod fiet, ſi devotè SS. Miſſæ Sacrificio interfuerimus, vel ipſi devotè celebraverimus - matutinas, item & veſpertinas preces - examen conſcientiæ ante ſomnum cum aliis particularibus devotionibus ferventèr obiverimus - ſi noſtram quisque ſtatûs ac vitæ rationem diligentèr obſervaverimus - Religioſi tandem ſi noſtras Regulas & Statuta exactè cuſtodiêrimus.

IV. Utile ac proficuum erit, quotidie ex ſuprà poſita ſancti Romualdi vita (ſpecialitèr ubi tractatur de ejus Translatione folio 1. Parte ſecunda) vel etiam ex alio pio codice aliquid meditari aut attentè legere.

V. Opera danda eſt uni vel alteri tam corporalium, quàm ſpiritualium bonorum miſericordiæ operum actui exercendo, & hoc ad imitandum hunc Sanctum, qui totus in chatitate Dei & amore proximi fuerat.

VI. Tam internè, quàm externè ſui ipſius vincendi ac mortificandi impendendum eſt ſtudium v. g. geſtando cilicium, corpus diſciplinîs afflictando, noctem humi-cubatione traducendo, quinquè præcipuè corporis ſenſus cuſtodiendo, refrenando linguam, temperantiam in cibo & potu ſervando, ac demùm quidquid uniuscujúsque proprius bonus ſpiritus dictabit.

Nota tamen omnia hæc mortificationis exercitia pro merito non amittendo cum ſcitu & ſui Patris ſpiritualis facultate eſſe facienda.

VII. & ultimò: In die ipſo Feſti ſeptimo Februarii incidentis in aliqua hujus Sancti Ordinis Eccleſia (ſi alitèr fieri poteſt) confitendum eſt & coḿunicandum: nec non ad omnibus hanc devotionem peragentibus conceſſas Indulgentias lucrandas in Vigilia Feſti, ſexto nimirùm Februarii, in honorem ſancti Romualdi eſt jejunandum.

For-

Forma Intentionis

Quovis die Mercurii facienda.

OMnipotens æterne DEUS, cui ſoli omnis honor debetur & gloria, ad majorem ſancti tui Nominis gloriam - in honorem Beatiſſimæ, ſempérque Immaculatæ Virginis Mariæ, & SS. P. N. Romualdi, præſertim in memoriam centum ejus annorum ad perpetuam laudem tuam, proximi fructum, & inenarrabile ſanctæ Eccleſiæ emolumentum ſumma in auſteritate transactorum - ad commemorandum demùm lætabundam illam Fabrianenſem in Urbem ad ſui Ordinis Divo Blaſio dicatam Eccleſiam (ubi úſque modò miraculis clarus quieſcit) ſacri Corporis Translationem inchoabo (proſequar) hodie decenalem hanc Devotionem conſequendi causâ Sancti hujus interventu gratiam NN. vel ut gratias tibi præſtem debitas pro accepto hoc beneficio NN. vel ut obtineam conſtantiam, ac perſeverantiæ in bono donum.

Ad S. ROMUALDUM.

REſpice hæc, ô SS. Pater ROMUALDE, eáque unà mecum Altiſſimo offer pro omnibus mihi collatis unquam beneficiis, & ora, ut his omnibûs, non alium ob finem,

quàm ad majorem ejus gloriam, propriæ animæ, ac aliorum utar ſalutem; Impetra mihi etiam, amantiſſime Pater! quatenùs, quidquid hac devotione obtinere deſidero, præſertim in bono perſeverantiam, fiducialitèr conſequar: veruntamen nolo alitèr, niſi ſicut ſanctiſſima illius voluntas eſt, exaudiri, unde, ſi ſibi in his non complacet, aut mihi non conducere providet, rogo, meas non ſuſcipiat preces; Non enim mea, verùm in omnibus à me, per me, & in me Divina fiat voluntas: Hoc ſolùm mihi effice, ut in omnibus ſanctiſſimam Dei voluntatem & ordinationem agnoſcere, ac fortitèr tam patiendo, quàm agendo adimplere valeam, Amen.

Pia Exercitatio ſex Feriarum in honorem Sanctiſſimi Patris

ROMUALDI.

Conſecrata Illius per ſex ferè Menſes immediatos antè mortem patientiſſimè tolleratis corporis afflictionibus & morbi doloribus ad mediantibus eorum meritis & Ejus potente ad Deum interceſſione tam in animi quàm corporis ærumnis, miſeriis, & infirmitatibus conſequendam patientiam, in voluntatem Divinam reſignationem - & tandem ad obtinendam finalem in mortis articulo gratiam.

Finis

Finis & Scopus iſtarum ſex Feriarum.

CAuſa, cur Feriam ſecundam elegerimus, illa nobis eſt, quia Beatiſſimus Pater ROMUALDUS die quodam Anno 1027mo in decimum nonum Junii * incidente (qui rectè ſecunda erat Feria) piè in Domino expiravit. Numerô verò ſex tantùm, cum ſex ferè menſibus ** ultima ſua in infirmitate ROMUALDUS ingentes admodùm dolores incomparabili ſuſtinuit patientiâ: Ad igitur hos Ejus dolores recolendos, & per eos Illius patientiam nobis (qui aliquando ſub vitæ noſtræ finem multis dolorum miſeriis circumdati erimus) à Deo conſequendam, ac beatè hoc ex ſeculo migrandi obtinendam gratiam grave nobis non ſit exiguam hanc, reſpectu tamen reſultantis exinde fructûs, magnam devotionem ſingulari peragere ſolertiâ ac fervore.

Forma & Methodus

Intentionis quâvis ſecunda Feria renovandæ.

O DEUS! cujus miſericordiæ non eſt finis, & bonitatis infinitus eſt Theſaurus

* *Brev. Rom. 7. Febr. in 2. Noct. 3. Lect.*

** *Petrus Dam. in ejus vita c. 69. circa medium.*

rus ad perpetuam laudem tuam & gloriam, & in honorem illorum ingentium admodùm dolorum, quos ſanctus Confeſſor tuus & Abbas Romualdus ſex ferè menſes ſuum antè obitum invictâ cum patientia & integra tuam in Divinam voluntatem reſignatione paſſus eſt & ſuſtinuit: Tibi offero hanc exiguam (quam quoad poſſe frequentèr ſubire cogito) devotionem:

I. Ut dignas tibi agam gratias pro omnibus inenarrabilibus gratiis & favoribus, præcipuè pro patientia illa, quam ſanctiſſimo Patri Romualdo non ſolùm in ultima ejus infirmitate & doloribus, verùm etiam toto illius vitæ curriculo in millenis animæ & corporis adverſitatibus conſtituto indulſiſti.

II. Ad conſequendum per illius interceſſionem mihi (aut NN.) gratiam efficacem in omnibus adverſis, præcipuè gravibus neceſſitatibus me (ſe) tibi integerrimè reſignandi.

III. Ad obtinendum omnibus nobis præſertim in mortis doloribus maximè neceſſariam patientiam.

IV. Ad imitandum noſtrum à Romualdo tenerrimè dilectum è Cruce pendentem Redemptorem JESUM Chriſtum.

V. Denique ad impetrandum animæ è noſtro corpore felicem deceſſum.

In

In hunc finem ſtatuo quavis ſecunda ex his Feriâ ſicut etiam in ipſo SS. Patris Romualdi feſto, quod in 19num Junii incidit.

I. Confiteri ac ſacra Synaxi me munire.

II. Antè Altare B. Romualdo Sacrum ad colendos doloroſos Ejus ſex menſes orare 6. Pater & Ave, cum totidem Gloria Patri, &c.

III. Singularem è vita Sancti deprompptam virtutem aliquam exercere & contrarium huic evitare vitium.

IV. Unum aliquem mortificationis ſubire actum.

V. Parvum Officium & Litanias ſancti Romualdi præſertim tres ex infra poſitis orationibus dicere, & primam quidem manè, ſecundam in meridie, & tertiam in veſpere.

Ad S. ROMUALDUM.

HÆc mihi, ô ſanctiſſime Pater & Patriarcha Romualde! in tuum honorem aſſumo, Tibìque prece ſupplici offero, non dedigneris mihi eſſe ad ſupremam Majeſtatem Divinam Patronus benigniſſimus & Advocatus, ut, dum corpus meum corruptibile ſub tempus morti jam proximum in lectulo dolorum decumbet integerrimæ Divinam in voluntatem reſignationis de inviſibilibus hoſtibus meis reportandæ victoriæ.

ctoriæ - ac beatæ demùm mortis gratiâ dignus fieri merear; quatenùs ità trinum & unum Deum - Patrem - Filium & Spiritum ſanctum unà tecum cœtúque cum illo ſub candido Ordinis tui Vexillo in portu finem non habituræ beatitudinis poſitorum jam commilitonum valeam laudare, amare, colere, & adorare æternalitèr, Amen.

PRIMA FERIA II[da].

Oratio prima Manè.

SAnctiſſima & individua Divina Trinitas, quæ præ omnibus ſancto ROMUALDO Abbati Spiritum & gratiam contuliſti, perfectiorem, corpori ſeveriorem, animæ verò diligenti te ſuaviorem Regulam inſtituendi, & nova Prole Eccleſiam fæcundandi: Concede propitiùs Ejuſdem Sancti meritîs, & interceſſione ſenſuum, & hujus ſæculi vanitates deſpicere, & ſola cœleſtia, & quæ tibi magìs ſunt placita amplecti. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Ejuſdem Spiritus, &c.

Oratio ſecunda in Meridie.

OMnipotens æterne DEUS, qui beato ROMUALDO Abbati gratiam tibi centum integros annos in ſumma vitæ aſperitate deſerviendi conferre dignatus es; Miſeri-

ſericordiſſimè non dedigneris & nobis errata præteritæ vitæ ſuis precibus condonare, & ſpiritum perſeverantis finalis emendationis infundere. Per Chriſtum Dominum noſtrum, &c.

Oratio tertia Veſperi.

O Altitudo divitiarum Sapientiæ & ſcientiæ Dei, qui per beatum ROMUALDUM Abbatem, & ſuam Venerabilem Religionem in ſummitate montium coli voluiſti; Concede propitiùs, ut Ejuſdem Sancti potentiſſima protectione gaudentes à terrenis rerum inferiorum vinculis integrè ſolvamur, ut coacti corpore in hoc ſæculo vivere, ſemper mente ad cœleſtia aſpiremus. Per Dominum noſtrum, &c.

SECUNDA FERIA II^da.

Oratio prima Manè.

MIſericors DEUS, qui beato ROMUALDO jam ab ineunte ætate gratiam Tibi deſerviendi, & Spiritum pœnitentiæ donâſti, ob quem ſæculum maturè & licèt Nobilis, ſæculi commoditates deſeruit; Concede propitiùs, ut Ejus exemplum imitemur, & Ejus interceſſione optimam partem ſalutis noſtræ eligentes mala morte non præoccupemur. Per Dominum noſtrum, &c.

Ora-

Oratio ſecunda in Meridie.

CLementiſſime Domine, qui omnes vis ſalvos fieri, & ideò omnem illuminas hominem venientem in hunc mundum, nec deſeris pios Magiſtros, ac ipſos Cœlites mittere ad docendum nos, ut cum ſancto ROMUALDO, mittendo Divum Apollinarem & probum Religioſum oſtendiſti; Præſta, ut cùm omnes docibiles ſint Dei futuri, & nos utriúsque interventu donum docilitatis, ac prœmia æterna conſequi valeamus. Per Dominum noſtrum, Amen.

Oratio tertia Veſperi.

ÆTernæ ſalutis amator & dator, qui præcepiſti eos, qui Sancti ſunt, ut ſanctificentur adhuc magìs, nè dum non proficerent, deficerent; Præſta, ut intercedente beato ROMUALDO Abbate, qui ſub ſancti Marini Anachoratæ directione majorem perfectionem, & magìs ſeveram vitam, quam quærebat, adeptus eſt; Nos utriúsque precibus nunquam deſiſtamus à timore Dei, & diffidentia noſtrî, ſed ſemper de virtute ad virtutem proficiamus, donec ſpiritum in manus Domini emiſerimus. Qui vivit & regnat, &c.

TER-

TERTIA FERIA IIda.

Oratio prima manè.

TIbi ſoli Deus & omnia ! notæ ſunt innumerabiles Satanæ in homines inſidiæ, & hominum etiam piorum non raro defectus ac invidia, quos ſæpè in ſe concitatos acritèr Divus Romualdus Abbas expertus fuit, & neminem in te ſperantem deſeris: Concede, ut illius interceſſione ac exemplo humiles fiamus, & magis aſſiduè orationibus, eleemoſinis, jejuniis, aliiſque mortificationibus, ac cœleſtium meditationibus incumbamus. Per Dominum, &c.

Oratio ſecunda in Meridie.

DOminus meus & DEUS meus, qui cor contritum & humiliatum nunquam deſpicis, & hilarem datorem diligis: Concede propitiùs, ut per lachrimas & hilaritatem ſolitam ac merita Divi Romualdi Abbatis noſtras culpas abluere, & cœleſte vitæ ſpiritualis gaudium, quod valdè majus eſt omni terreno nunc & in perpetuum deguſtare valeamus. Per Dominum, &c.

Oratio tertia Veſperi.

OPtime Deus, qui ſervo tuo Romualdo inter innumeras gratias etiam ſortem ſterilibus fœcunditatem impetrandi donâſti;

ſti; Quæſumus, ut ad tuum honorem numerus fidelium augeatur, & ſicut Principes & Monarchas olim ad ſanctum ROMUALDUM, dum vivebat, recurrentes exaudiſti, nunc prodigia tuæ pietatis in his ſummis calamitatibus ad melius tuæ ſanctæ Religionis Ejuſdem ſanctis precibus renovare & repetere non dedigneris. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, &c.

QUARTA FERIA II[da].

Oratio prima Manè.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui infinitam miſericordiam tuam parcendo maximè manifeſtas; Concede propitiùs, ut, qui per beatum ROMUALDUM multos ab illecebris mundi ad ſolitudinem traxiſti, & nos illius precibus & exemplo per veræ pœnitentiæ fructus, ad montem, qui Chriſtus eſt, perducamur. Qui vivis & regnas, &c.

Oratio ſecunda in Meridie.

DEus, qui ignem charitatis tuæ mittis, ut accendatur, vehementèr in nobis, illum accende, & quod corde & ore profitemur, moribus, ac ipſo amore ad exemplum Divi ROMUALDI Abbatis Martyrii cupiditate flagrantis nobis hujus interventu largire teſtari. Per Chriſtum Dominum, &c.

Oratio tertia Vesperi.

MIrabilis & sanctissime Deus, qui cuncta suavitèr & fortitèr benè disponis, quique Beato Romualdo Abbati animo Martirii gloriam adipiscendi in Pannoniam proficiscenti, augeri permittebas & recedenti minuebas, illius sub protectione in adversis & prosperis fac nos tuæ semper integrè voluntati conformes. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c. Amen.

QUINTA FERIA IIda.

Oratio prima Manè.

ÆTerne Deus, qui innumeris miraculis in vita, & post mortem sanctum Romualdum Abbatem decorâsti; Hujus intercessione ab omni peccato nos custodi, & ad Paradisum perducere digneris. Per Dominum nostrum, &c.

Oratio secunda in Meridie.

DEus Abraham, Isaac, & Jacob, qui Spiritum Prophetiæ Divo Romualdo Abbati dedisti, hujus meritis, & precibus reple nos virtutibus cardinalibus, moralibus, & Theologicis, ut decentèr in præsenti vita Tibi serviamus, & ad futura providè aptemur. Per Dominum nostrum, &c.

Ora-

Oratio tertia Vesperi.

DEus, qui Beato ROMUALDO Abbati Scalam à terra in cœlum pertingentem in similitudinem Jacob Patriarchæ, per quam Camaldulenses sui Ordinis candida veste ascendebant, & descendebant, videre concessisti; Quæsumus, ut illius auxiliô per frequentes meditationes mente ad cœlestia dirigamur, & descendentes vivè per considerationem in geheñam, in hanc mortui non decidamus, sed in sortem electorum misericorditèr admittamur. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat, &c. Am.

SEXTA FERIA II^da.

Oratio prima Manè.

PRæsta quæsumus omnipotens DEUS, qui tempus pretiosissimum donâsti ad tutiùs & majorem æternitatis gloriam mercandam, quique cujúsque momenti ùt & cujuscúnque verbi otiosi Judex & exactor strictissimus es futurus: ut exemplo sancti ROMUALDI Abbatis, qui centum & viginti annos vivens semper dignè in tuo famulatu illud impendit, & nos illius precibus, & præteritum redimere, & modicum, quod superest, quoad tibi magis placuerit, impendere, ac linguam & cogitationes no-

stras

ſtras moderari. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, &c.

Oratio ſecunda in Meridie.

DEus, qui nec capillos de Sanctis tuis deperdi ſinis, & corpori ſancti ROMUALDI Abbatis etiam poſt mortem incorruptionem donâſti; Sub Ejuſdem protectione dona nobis impuritatum nugas, ſordes & dedecora ſemper ſpernere, & ad chorum Virginum, & pœnitentium, ac Angelorum pervenire. Per Chriſtum, &c.

Oratio tertia Veſperi.

HUmilium celſitudo, & ſuperborum depreſſor, qui ſæculi honores, & onera proprio exemplô in Eremo fugere docuiſti, ac tui Imitator egregius Divus ROMUALDUS Abbas ad Ottonis Cæſaris repetitas preces, ac mandata non niſi invitùs Abbatem ſe conſecrari permiſit: Concede propitiùs, ut nos incomparabilitèr minùs alienæ directioni apti, quominùs noſtris paſſionibus, ſenſibus, ac potentiis dominamur, eos rationi, & hanc DEO ſubmittendo, ac minùs nobis commiſſis invigilamus, cuncta ſuavitèr & fortitèr, prudentèr & amantèr providendo, minúsque ſtrictam propriæ & alienæ ſalutis rationem tardo & ſevero Redditori nos reddituros perpendimus,

mus, concede propitiùs, ut veram humilitatem & Dei voluntatem ſemper ſolùm quæramus. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Advertendum.

QUod ſi quis certis ex cauſis nollet, aut non poſſet has decem, quartas - vel ſextas Ferias ſecundas peragere, ille poſſet tamen decem Translationis Feſtum antecedentes dies, vel ſex im̃ediatè continuos ante diem obitûs commodè ſua pro devotione ſibi eligere, & tunc eſſet omninò obſervandum, quod ſuperiùs in utriúsque Devotionis methodo traditum fuit, prætèrquàm quod primô & ultimô, nec non aliquo intermediô die (decennam peragentes) confiteri & communicare deberent.



AD



AD DIVUM ROMUALDUM

Videntem

Antiſtitem, & Martyrem SANCTUM APOLLINAREM.

HUmida nox eſt: & placido conſperſa ſopore
Corpora, quæ cûris laſſa, quiete tacent,
Ipſe vigil tantùm: lachrimis Claſſenſis ad oras
Poplite conflexo mittis ad aſtra preces.
Lucidus eccè tibi obſcuro velamine noctis
Cœlicola apparet, dulcitèr, & loquitur:
Surge, jacens dilecte Dei, jam contine fletum
Audax nè dubites: ſic ego, Sanctus eris.

D. R. D.

IN DIVI ROMUALDI LAUDEM EPIGRAMMA

Incerti Auctoris.

ANcipites mundi noſcens Romualdus honores
Et proprios liquit vinctus amore Dei
Antra petit tutus, ſylvas, glaciésque nivésque
Temnens agreſti corpora veſte tegit
Nocte, diúque Sacris cœlos concentibus implens
Contentus modico, ſplendida tecta fugit
Æuo haud indulget, ventris non victus amore
Nec proprior lætho ferrea vincla ſinit.





INDEX
Capitulorum, & Summa præsentis Vitæ SS. N. P.
ROMUALDI.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.

CAPUT XI.

CAPUT XII.

CAPUT XIII.

CAPUT XIV.

CAPUT XV.

CAPUT XVI.

CAPUT XVII.

CA-

CAPUT XXXI.

CAPUT XXXII.

CAPUT XXXIII.

CAPUT XXXIV.

CAPUT INSERTUM.

CAPUT XXXV.

CAPUT XXXVI.

CAPUT XXXVII.

CAPUT XXXVIII.

CAPUT XXXIX.

CAPUT XL.

CAPUT XLI.

CA-

FINIS PARTIS PRIMÆ.





PARS SECUNDA.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.





PARS TERTIA.

APPENDIX.

F I N I S.



CENSURA,

Et Approbatio Venerabilis Consistorii Passaviensis.

LIbrum, cui titulus Vita & Acta sanctissimi Patris & Patriarchæ ROMUALDI, &c. cùm nihil, quod vel orthodoxæ fidei, vel bonis moribus esset contrarium, immò plurima potiùs, quæ & ab elegantia styli, & in Divum Patriarcham zelo, multùm sunt commendabilia, contineat prelô, & publicâ lùce omninò dignum censemus.

Ex Consistorio Passaviensi Viennæ 3. Maii 1726.

FERDINANDUS OTTOCARUS
Comes à Starhemberg Officialis & Vicarius Generalis.

FRANCISCUS ANTONIUS MAYR
DIRECTOR.

ÆGIDIUS CASPARUS PELSER
Consiliarius & Notarius.

ERRATA PRIMÆ PARTIS.


Menda	*ſic emenda.*	*Folium.*	*Linea.*
Stemate	Stemmate	37	1
vatam	vatem	91	5
ad	at	119	4
Cavendam	Cavendum	137	9
expectare	expectare	177	10

SECUNDÆ PARTIS.

incæpto	in cæpto	2	16
triſtiæ	triſtitiæ	3	22
laboribns	laboribus	4	10
Cum	Cùm	6	9
illos	illas	7	6
oneris impoſitum	oneris animali impoſitum	14	28
proflama	pro flam̃a	17	4
impurus	impunes	19	18
invicina	in vicina	26	30

TERTIÆ PARTIS.

munpi	mundi	8	6
premia	præmia	10	8







Biblioteka Jagiellońska
stdr0029945


IHS



